6122

Quæstiones Pastorales

VII

DE MATRIMONII Sacramento

TRACTATUS PASTORALIS

AUCTORE

R. P. fr. CESLAO-M. SALMON, O. P., S. T. L.

In Studio Generali Lovaniensi Professore.

LIEGE

La Pensée Catholique — 38, Quai Mativa

PARIS (6e) : Librairie A. Giraudon, 56, rue N.-D. des Champs

AMSTERDAM : N. V. De R. K. Boek-Centrale

PADERBORN : Verlag Ferdinand Schöningh

TORINO-ROMA : Casa editrice Marietti

MONTREAL : Granger Frères

MADRID : Editorial Voluntad

MCMXXX

QUAESTIONES PASTORALES

DE MATRIMONII SACRAMENTO

Nr. inw.
6122
MUZEUM W PRZEMYŚLU
2

Ius proprietatis auctor sibi vindicat.

CORRIGENDA.

Errata :	*Corrige :*
n° 15, lin. 5 : anathema	anathemate
n° 49, penult. alinea : partem	pactum
n° 58 d) 1905	1907
n° 71, penult. linea : conjucturas	conjecturas
n° 111, b) 2. 3) perfectio	perfectior
n° 115, c) matrimonii permissione	matrimonii promissione
n° 139, b) exluditur	excluditur
n° 188, c) ultima linea : consetur	censetur
n° 189, a) linea 5 : secdeti	secreti

n° 195, post f) collocentur quinque ultimae linae quae ponuntur n° 197.

Quæstiones Pastorales

VII

DE MATRIMONII Sacramento

TRACTATUS PASTORALIS

AUCTORE

R. P. fr. CESLAO-M. SALMON, O. P., S. T. L.

In Studio Generali Lovaniensi Professore.

LIEGE
La Pensée Catholique — 38, Quai Mativa
PARIS (6e) : Librairie A. Giraudon, 56, rue N.-D. des Champs
AMSTERDAM : N. V. De R. K. Boek-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schöningh
TORINO-ROMA : Casa editrice Marietti
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXX

Nihil obstat

Fr. Humbertus-M. Bisschop, S. T. L.
Fr. Benedictus-M. Merkelbach, S. T. L.
Lovanii, die 5a Aug. 1929

Attenta duorum revisorum relatione,
imprimi potest
Datum Lovanii, die 8a Augusti, 1929
Fr. Hyacinthus-M. Parijs, S. T. L.
Prior Provincialis Provinciae, S. Rosae in Belgio, S. O. P.

Nihil obstat :
Gandae, die 15 Januarii 1930.
P. Leo, o. c. d., Libr. Cens.

Imprimatur :
Gandae, die 17 Januarii 1930.
C. Van Crombrugghe, vic. gen.

LECTORI BENEVOLO,

Post quaestiones pastorales de Baptismi et Poenitentiae Sacramentis a R. P. Merkelbach, O. P. erudite et dilucide concinnatas, propositum nostrum est operam similem tentandi circa matrimonii sacramentum, ut sic compleatur pastoralis tractatus de sacramentis. Pastoralis theologiae munus est omnino practicum, cum ejus finis proximus sit manuducere animarum pastores in eorum officio fideliter, prudenter et cum fructu spirituali adimplendo. Quare in hoc tractatu de matrimonii sacramento scopus noster erit imprimis practicus, praebere scilicet parochis et confessariis necnon juvenibus qui artem pastoralem edocentur breves, claras, certas et pro posse completas notiones de re matrimoniali quoad ipsorum interest. Partem dogmaticam non quidem omnino praeterire possumus, cum magna ex parte principium et fons legislationis matrimonialis exsistat. Sed theses quae ad illam partem pertinent breviter indicare nobis sat erit. Melius etiam fore censuimus a singulis enumerandis auctoribus abstinere qui huic vel isti opinioni favent vel opponuntur. Sic brevitati et luciditati consulere credimus. Animadvertet statim lector, indicem oculis lustrando, nos omisisse quae pertinent ad debitum conjugale et peccata conjugum. Ratio est quia R. P. Merkelbach in eximio libro « De castitate et luxuria », qui primus in lucem editus est inter « Quaestiones Pastorales », istam materiam optime digessit. Ad ejus opus oportebat nos lectorem remittere ne actum iterum agamus.

CAPUT I

De Matrimonii Natura

Art. I

NOTIO MATRIMONII

1. — I. **Definitio.**

a) Idem nomen « matrimonium » duo designat connexa quidem, cum alterum alterius sit causa, sed vere diversa. Distinguere enim necesse est matrimonium *in fieri* et matrimonium *in facto esse*, quae ab invicem differunt, ut actio transitoria ab effectu permanenti quem actio illa producit.

b) Matrimonium *in fieri* est contractus omnino singularis et aliquo saltem modo sacer (1) quo vir et mulier legitime sibi mutuo jus exclusivum et perpetuum in corpus tradunt, in ordine ad actus per se aptos ad generationem.

Matrimonium *in facto esse* est vinculum perpetuum ex contractu matrimoniali productum quod virum et mulierem in unam coadunat vitae societatem ad conjugalia officia adimplenda.

c) Illae definitiones valent pro omni matrimonio. Sed matrimonium baptizatorum Salvator noster ad dignitatem sacramenti Novae Legis evexit, ita ut nefas sit distinguere in matrimonio christiano contractum et sacramentum tamquam duas res, sed ipse contractus est sacramentum.

---

(1) Leo XIII, *Arcanum*, 10 febr. 1880.

2. — II. **Essentia matrimonii.**

a) Licet jus mutuum ad carnalem copulam sit objectum formale consensus matrimonialis, non tamen ipsa copula exercita ullimode ad essentiam matrimonii pertinet. Fuit enim verum matrimonium inter Adamum et Hevam adhuc in Paradiso degentes, fuit pariter verum matrimonium B. V. Mariae cum S. Joseph, et tamen in neutro casu intervenit copula carnalis.

Caeteroquin ea est doctrina Patrum et Theologorum perpetua et certa.

b) Essentia matrimonii *in fieri* consistit in mutuo consensu exterius manifestato quo vir et mulier sibi invicem tradunt et acceptant jus mutuum, exclusivum et perpetuum in corpus in ordine ad actus per se aptos ad generationem.

Tali jure non collato, nullum est matrimonium, cum illud jus sit in matrimoniali contractu *formale objectum*.

c) Essentia matrimonii *in facto esse* seu matrimonialis *status* consistit in perpetua obligatione conjugum ad sibi mutuo praestanda officia quae ex legitimo contractu matrimoniali debentur.

3. — III. **Divisio matrimonii.**

Multipliciter matrimonium distingui potest :

a) In legitimum, ratum, ratum et consummatum.

Legitimum dicitur « matrimonium inter non baptizatos valide celebratum » (Can. 1015, § 3).

Ratum dicitur « matrimonium baptizatorum validum... si nondum consummatione completum est » (Can. 1015, § 1).

« *Ratum et consummatum*, si inter conjuges locum habuerit conjugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo conjuges fiunt una caro » (ibid.).

b) In publicum, secretum et clandestinum.

Publicum est quando celebratur in facie Ecclesiae et in forma ab Ecclesia statuta sive pro casu ordinario, sive pro casibus extraordinariis.

Secretum matrimonium seu matrimonium *conscientiae* celebratur quidem in forma ab Ecclesia praescripta, sed tenetur occultum, omissis proclamationibus et registratione in libris paroecialibus.

Clandestinum est, si extra formam ab Ecclesia praescriptam celebretur, videlicet absque interventu parochi vel Ordinarii vel sacerdotis delegati et duorum testium in casibus ordinariis, vel saltem duorum testium in casibus extraordinariis.

Ut fusius infra exponetur, clandestinum matrimonium est semper invalidum, nisi agatur de matrimonio infidelium vel extra Ecclesiam catholicam baptizatorum seu educatorum, et numquam ad illam conversorum, quando inter se contrahunt, aut etiam nisi in forma celebrationis matrimonii legitime dispensatum fuerit.

c) In validum, invalidum, putativum.

Validum est, in quo adimplentur omnes conditiones ad validitatem requisitae.

Invalidum est, cui deest aliqua conditio ad validitatem necessaria.

Putativum dicitur « matrimonium invalidum..., si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de ejusdem nullitate certa evadat. » (Can. 1015, § 4).

4. — IV. **Bona matrimonii.**

Tria assignantur matrimonii bona, quae statum conjugalem cohonestant et supernaturaliter meritorium efficiunt, et quae his verbis solent exprimi : proles, fides, sacramentum.

a) *Proles* i. e. « suscipienda et educanda ad cultum Dei ».

b) *Fides* « quam unus conjugum alteri servare debet ».

c) *Sacramentum* i. e. « indivisibilitas matrimonii propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae » (Con. Florent. Decr. pro Armenis. Denz. n. 702).

Ut infra videbimus, invalidum est matrimonium in quo apposita est conditio excludens unum ex istis bonis matrimonii essentialibus.

5. — V. **Matrimonii fines.**

Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adjutorium et remedium concupiscentiae » (Can. 1013, § 1).

Licet matrimonium contrahere intendendo finem secundarium, etiam si primarius finis non valeat obtineri.

6. — VI. **Legislatio matrimonialis.**

a) *Lex divina* sive naturalis, sive positiva omnia matrimonia etiam infidelium regit, nisi tamen agatur de matrimonio-sacramento.

Ratio est evidens : Omnes homines sunt subditi Dei.

b) Matrimonium *baptizatorum* regitur insuper lege *ecclesiastica*.

Nec ab illa lege immunes sunt haeretici et schismatici, quia baptismus eos subditos Ecclesiae facit, nisi in quantum illos Ecclesia eximere intendit et declarat.

c) Matrimonium *non baptizatorum*, si inter se contrahant, non subest legi ecclesiasticae, cum ab Ecclesia non pendeant.

d) Si tamen infidelis cum persona baptizata contrahat, subest legi ecclesiasticae, ratione compartis.

e) Potestas civilis nullum jus habet statuendi impedimenta dirimentia vel prohibentia, respectu baptizatorum, « salva competentia civilis potestatis circa mere civiles ejusdem matrimonii effectus » (Can. 1016).

f) Probabilius potestas civilis jus habet statuendi impedimenta etiam dirimentia pro matrimoniis infidelium, si inter se contrahant.

g) Non videtur ullum jus competere potestati civili ad statuenda impedimenta, quando infidelis cum parte baptizata contrahit.

Art. II

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

7. — « Essentiales matrimonii proprietates sunt *unitas* et *indissolubilitas*, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti » (Can. 1013, § 2).

§ 1. De Unitate Matrimonii.

8. — I. *Unitas* matrimonii in hoc consistit quod unus vir uni foeminae sit junctus. Excludit tum *polyandriam*, i. e. simultaneam pluralitatem virorum, tum *polygamiam*, simultaneam scil. uxorum pluralitatem, nullatenus autem secundas vel ulteriores post mortem conjugis nuptias.

II. *Polyandria* simultanea plane damnatur lege naturali, quippe quae directe contrarietur fini primario matrimonii, generationi scilicet et educationi prolis. Experientia enim docet mulieres a pluribus viris habitualiter cognitas raro foecundas esse, et praeterea polyandria, incertam reddens paternitatem, prolem privaret curâ et adjutorio patris.

III. *Polygamia* non ita opponitur legi naturali, cum unus sufficiat vir ad plures mulieres foecundandas et ad prolis ex illis susceptae educationem curandam. Et revera Deus patriarchis polygamia utendi licentiam tribuit. Attamen pluralitas uxorum non satis providet bono pacis inter conjuges, nec servat aequale jus viri et mulieris in petitione debiti conjugalis. Et ideo dicunt theologi polygamiam opponi juri naturali secundario, cujus munus est praecipere ea quae sunt necessaria non ad esse simpliciter, sed ad bene et melius esse.

Christus revocavit matrimonialem institutionem ad primaevam puritatem et unitatem et deinceps nulli hominum etiam gentili licet habere simul plures uxores, et, si talia conjugia attententur, plane invalida sunt.

§ 2. De Indissolubilitate Matrimonii.

9. — **Notio.**

I) a) *Indissolubilitas* est matrimonii proprietas qua vinculum matrimoniale non solvitur, nisi morte alterutrius conjugis.

b) Ista proprietas est omnis matrimonii tum naturalis, tum christiani, cum quodam tamen temperamento, ut statim dicemus.

c) Lex mosaica admittebat libellum repudii, quo vin-

culum matrimoniale dissolvebatur et potestas fiebat uxori repudiatae novum conjugium ineundi. Sed hic etiam Salvator restituit pro omnibus hominibus primaevam matrimonii indissolubilitatem.

10. — II) **Quonam sensu sit matrimonium indissolubile.**

a) « *Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.* » (Can. 1118).

Haec doctrina est fide certa, cum Conc. Trid. sic. definierit : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta *evangelicam et apostolicam doctrinam* (Marc. 10; 1 Cor. 7), propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quae dimisso adultero alii nupserit. A. S. » (2).

Ea sola causa fuit cur Patres abstinuerint a directe definienda ut dogma fidei illa doctrina de absoluta indissolubilitate matrimonii rati et consummati, ne Graecis schismaticis offenderent qui contrariam praxim sequuntur et admittunt vinculi dissolutionem ob adulterium alterius conjugum.

11. — b) « *Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso jure per solemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede apostolica ex justa causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita* » (Can. 1119).

Dupliciter igitur solvi potest matrimonium ratum et non consummatum :

1°) Ipso jure per *solemnem* professionem religiosam alterutrius conjugis. Sic enim loquitur Conc. Trid. « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per

(2) Sess. XXIV, *De sacram. matrimonii*, can. 7. DENZINGER-BANNWART, n. 977.

solemnem religionis professionem alterius conjugis non dirimi, A. S. » (3).

Professio solemnis locum habet in solis Ordinibus stricte dictis, non autem in Congregationibus religiosis. In Gallia, Belgio, Hollandia, pauca admodum monasteria *mulierum* vota solemnia nuncupant.

2°) Per dispensationem a Summo Pontifice concessam. Praxis Ecclesiae inde a tempore Martini V ita certum reddidit jus illud Pontificis ut non possit absque nota temeritatis negari.

12. — c) « *Legitimum inter non-baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino.* » (Can. 1120, § 1).

1. *Paulinum* privilegium ita nuncupatur quia eruitur ex verbis Apostoli I Cor. VII, 12-15 : « Nam caeteris ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier virum habet infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.... *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.* »

2. Post Innocentium III qui primus authenticam verborum Apostoli interpretationem dedit, Ecclesia hoc privilegium ita intelligit ut si alter conjugum ad fidem convertatur et baptismum recipiat, altero in sua infidelitate perseverante, jus sit parti conversae novum ineundi matrimonium cum fideli, modo adsint graves a jure indicatae rationes discessus et insuper praecesserit debita interpellatio partis infidelis a parte fideli.

13. — 3. *Circa hoc privilegium sequentia sedulo notentur :*

1°) « Non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. » (Can. 1120, § 2)

2°) Triplex casus locum praebet ad novas ineundas nuptias :

(3) *Ibid.*, can. 6. DENZ.-BANNWART, n. 976.

a) si pars infidelis, etsi inculpabiliter, discedat.

b) si renuat cum parte conversa pacifice cohabitare.

c) si non consentiat cohabitare, nisi cum contumelia Creatoris, v. g.: concubinas retinendo, conjugem ad gravia peccata tentando, etc.

3°) Non est locus privilegio si pars conversa « ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae justam discedendi causam » (Can. 1123).

4°) « § 1. Antequam conjux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet... partem non baptizatam interpellare :

1) an velit et ipsa converti ac baptismum suscipere;

2) an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

§ 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes apostolica aliud declaraverit » (Can. 1121).

5°) « § 1. Interpellationes fiant regulariter forma saltem summaria et extra-judiciali, de auctoritate Ordinarii conjugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque conjugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

§ 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa valent, imo sunt licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo. » (Can. 1122).

6°) Praedicta interpellatio est quidem omnino necessaria, excepto casu dispensationis a solo Romano Pontifice vel ejus delegato concessae. Sed non omnino constat matrimonium celebratum absque debita interpellatione vel ejus dispensatione esse nullum, si alias constat de vero discessu partis infidelis (4).

7°) « Conjux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, jus tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc jure uti, si conjux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine justa causa, vel

(4) Dom. Prümmer, O. P., *Manuale Theologiae Moralis*, t. III, ed. altera et tertia, pag. 469.

jam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris. » (Can. 1124).

8°) « Vinculum prioris conjugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide inierit. » (Can. 1126).

9°) « In re dubia privilegium fidei gaudet favore juris » (Can. 1127).

10°) Contra paucos videtur certum privilegium Paulinum iis etiam prodesse qui ex infidelitate conversi in secta acatholica valide baptizantur.

14. — d) An Summus Pontifex valeat dispensare super matrimonio in infidelitate contracto quando una vel utraque pars ad fidem convertitur?

R. 1° *Certum est Papam dispensare posse, si matrimonium numquam fuit consumatum.*

2° *Probabilius valet Summus Pontifex solvere vinculum matrimonii legitimi etiam consummati, quod tamen post baptizatum utrumque conjugem non fuit iterum consummatum.*

Ita Prümmer (5) qui addit : « Ita sententia inter modernos communis. » Duplex in favorem hujus sententiae argumentum affertur :

1°) *Intrinsecum* : Tale matrimonium non est ratum consummatum, quia ante baptismum non erat ratum; jamvero solum vinculum matrimonii christiani rati et consummati est omnino indissolubile.

2°) *Extrinsecum* : Constitutiones S. Pii V *Romani pontificis*, 2 Aug. 1571, et Gregorii XIII « *Populis* », 25 Jan. 1585, videntur ultra limites interpretationis privilegii Paulini procedere et veram solutionem vinculi matrimonialis concedere, quas Constitutiones Codex Juris canonici extendit ad omnes regiones, in eisdem adjunctis. (Can. 1125).

3° *Certum est nullum locum dari dispensationi, si matrimonium post utriusque baptismum fuerit consummatum.*

(5) *Ibid.*, p. 471.

Art. III

DE MATRIMONIO-SACRAMENTO

15. — **Sacramenti matrimonii exsistentia.**

Non est cur immoremur in adstruenda exsistentia sacramenti matrimonii, cum id agere ad theologiae dogmaticae munus pertineat. Satis sit in hoc tractatu practico meminisse Conc. Tridentinum anathemá plectere illum qui dixerit : « Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Dómino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferens » (6), et proinde exsistentiam sacramenti matrimonii esse dogma definitum fidei catholicae.

In hoc articulo agemus : 1°) de materia, forma, ministro, 2°) de subjecto hujus sacramenti.

§ 1. De Materia, Forma, Ministro Sacramenti Matrimonii.

16. — I. In hoc sacramento materia et forma non differunt a materia et forma contractus matrimonialis, cum ipse contractus sit a Christo elevatus ad supernaturalem dignitatem sacramenti.

17. — II. *Materia remota* sacramenti in matrimonio sunt contrahentium personae seu jus mutuum in corpus alterius in ordine ad generationem.

In quolibet enim contractu materia remota dicitur res de qua stipulatur. In contractu vero matrimoniali de jure mutuo in corpora in ordine ad generationem fit pactum.

18. — *Materia proxima* sunt signa vel verba quatenus exprimunt reciprocam traditionem juris in corpora.

Ita sententia longe communior. In omni enim contractu materia proxima est traditio rei.

---

(6) Sess. XXIV, *De Sacr. matrim.*, DENZ.-BANNWART, n. 971.

19. — III. *Forma* est mutua acceptatio hujus traditionis exterius manifestata. Est sententia communis et certa. In contractu matrimoniali sicut in caeteris contractibus, acceptatio rei traditae consideratur ut forma.

20. — IV. *Sacramenti matrimonii minister.*

Melchior Cano, O. P., famosus theologus, docuit *sacerdotem* esse ministrum sacramenti matrimonii; verba : Ego vos conjungo, esse formam; materiam vero consensum mutuum contrahentium. (7)

Et licet multi et magni theologi Cani sententiam propugnaverint, hodie tamen communiter admittitur *ipsos contrahentes ministros esse sacramenti.* Et revera certum est matrimonia baptizatorum aliquando valide et etiam licite celebrari posse sine interventu sacerdotis et tale matrimonium esse verum sacramentum.

Ergo non sacerdos, sed ipsi contrahentes sunt hujus sacramenti ministri.

§ 2. De Sacramenti Matrimonii Subjecto.

21. — I. **Omnes baptizati inter se contrahentes et nullo impedimento laborantes sunt subjectum capax validi sacramenti matrimonii.**

Non catholici tantum, sed etiam haeretici et schismatici vel apostatae non possunt validum matrimonium contrahere quin eo ipso recipiant matrimonii sacramentum, modo vere baptizati sint et cum baptizata persona contrahant.

Est omnino certum et ab omnibus admissum.

« § 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum. » (Can. 1012)

22. — II. **Digna et fructuosa susceptio sacramenti matrimonii insuper requirit ut sponsi sint ab omni impedimento prohibenti immunes et statu gratiae praediti.**

---

(7) *De locis theologicis*, libr. 8, c. 5 in sol. ad 3.

Sacramentum enim matrimonii est sacramentum vivorum, quod proinde sacrilege suscipitur, si anima non vivat vita supernaturali gratiae. Attamen gratia sacramentalis in matrimonio probabilius postea reviviscit, quando sincera conversione removetur obex peccati.

23. — III. **Matrimonium validum inter personam baptizatam et partem infidelem non est sacramentum, ne quidem ex parte fidelis.**

Licet multi contradicant, haec sententia videtur certa. « Matrimonium enim, ait Angelicus, non potest claudicare. » (8) Si contractus matrimonialis est invalidus ex una parte, invalidum sit necesse est etiam ex altera parte. Similiter si deest sacramentum in una parte, nec etiam in altera parte adest. Atqui nemo dubitat partem infidelem esse incapacem sacramenti. Ergo nec etiam pars baptizata recipit sacramentum.

« Opinio autem adversariorum hinc orta videtur quod in sacramento nihil aliud vident praeter ritum exteriorem, quo immediate confertur gratia; nam certe quantum ad sacramentalem gratiam recipiendam quilibet conjugum est prorsus independens a comparte, et conditio unius non potest impedire gratificationem alterius. Sed, si prae oculis habeas, quod gratia non confertur nisi *mediante vinculo sacramentali*, et quod ipsummet sacramentale vinculum est solus immediatus effectus exterior sacramenti, tunc ne dubia quidem res tibi erit. Quippe vinculum est relatio quaedam inter duos et quidem relatio aequiparantiae ejusdem rationis in utroque; si ergo unus est absolute incapax vinculi sacramentalis propter defectum baptismatis, alter, etsi baptizatus, non quidem absolute, sed respectu non baptizati, sacramentalis nexus pariter incapax esse videtur. Nullum igitur ibi est sacramentum, ubi nullus sacramentalis effectus aut esse aut concipi potest.» (9)

---

(8) *Suppl.*, qu. 47, a. 1.

(9) Billot, S. J., *De Eccl. Sacram. De matrimonio*, thes. 38 apud Prümmer, *op cit.*, p. 444.

24. — IV. **Si ex duobus conjugibus non baptizatis alter tantum baptizetur, istud matrimonium non evadit sacramentum etiam pro parte baptizata.**

Eadem ratio valet hic ac pro stabilienda sententia praecedenti.

Sed mirum est hic neminem fere contradicere. Sane non audent, quia tale matrimonium, etiam si post baptismum unius partis consummatum sit, manet dissolutioni obnoxium ex Paulino privilegio vel etiam ex pontificia dispensatione, ut supra dictum est nn. 13, 7° et 14, 2°, et prorsus inauditum est matrimonium quod est sacramentum post consummationem dissolvi. Sed nonne hic habetur novum et validum argumentum in favorem thesis praecedentis? Cur enim matrimonium antea legitimum non fit pro parte conversa vinculum sacramentale, ut fit quando conjuges ambo baptizantur, nisi quia « matrimonium non potest claudicare? »

25. — V. **Si ambo conjuges convertantur et baptizentur, eorum matrimonium ipso facto fit sacramentum.**

Est sententia communior, cui pauci contradicunt.

CAPUT II

De Consensu Matrimoniali in specie

Ut ex dictis patet, consensus matrimonialis est res maximi momenti, quippe qui ipsum matrimonium in fieri constituat, et sacramenti matrimonii materia simul ac forma exsistat. Et ideo necesse est accuratius de consensu agere. In praesenti capite tractandum est successive in distinctis articulis : 1°) De qualitatibus validi consensus. 2°) De vitiis consensus.

Art. I

DE QUALITATIBUS MATRIMONIALIS CONSENSUS

26. — I. Ut sufficiens sit ad validum matrimonium, consensus matrimonialis debet esse : Verus et internus, liber, mutuus et simultaneus, de praesenti, externe manifestatus.

a) *Verus et internus* : oportet scilicet ut voluntas contrahentium matrimoniales obligationes suscipere sincere intendat.

b) *Liber* : i. e.; immunis ab errore, vi et metu gravi, et cum sufficienti cognitione et deliberatione praestitus.

c) *Mutuus* et *simultaneus* : Cum matrimonium sit bilateralis contractus, ex suapte natura requirit consensum amborum nupturientium. Requiritur etiam, sicut in con-

tractibus civilibus, simultaneitas saltem moralis utriusque consensus.

d) *De praesenti* : consensus enim de futuro sponsalitium efficit, non matrimonialem contractum.

e) *Externe manifestatus* : Quis enim concipere valet bilateralem contractum mere internum.

Quaelibet externa et certa manifestatio consensus sufficit ad validitatem. Sed Ecclesia jubet ut verba adhibeantur.

« Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint. » (Can. 1088 § 2.)

27. — II) **Matrimonium per interpretem.**

« Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest. » (Can. 1090.)

Ad *liceitatem* tantum requiritur justa causa et, si tempus suppetat, licentia Ordinarii. Insuper oportet ut de interpretis fide nullo modo dubitare liceat. (Can. 1091)

28. — III) **Matrimonium per procuratorem.**

Tum valide, tum ex justa causa licite, matrimonium contrahi potest per procuratorem. Constat ex can. 1088 § 1 et can. 1089.

Ad *validitatem* hujusmodi matrimonii requiritur :

a) *Mandatum speciale* ad contrahendum cum certa persona (ex jure naturali) *subscriptum* a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro eorum delegato, vel a duobus saltem testibus.

Si mandans scribere nesciat vel non valeat, id in ipso mandato adnotetur et *addatur* alius testis qui scripturam et ipse subsignet. Secus irritum est mandatum. Haec omnia ex jure ecclesiastico.

b) Ut mandans, *ante* contractum matrimonium nomine suo, mandatum non revocaverit, vel in amentiam non inciderit, licet id ignotum fuerit procuratori vel alteri parti. (Ex jure naturali).

c) Ut procurator per se ipse munere fungatur. (Can. 1089.) (Ex jure ecclesiastico.)

Ad *liceitatem* jus praescribit :

a) Ut statuta dioecesana forsan de hac re exsistentia observentur.

b) ut adsit justa causa.

c) ut, si suppetat tempus, licentia Ordinarii loci habeatur.

d) ut de authenticitate mandati parocho semper constet. (Can. 1089 § 1. — Can. 1091.)

29. — IV) **Matrimonium per litteras.**

Est prorsus invalidum, ex jure ecclesiastico, cum jus decernat : « Ad matrimonium valide contrahendum, necesse est ut contrahentes sint *praesentes* sive per se sive per procuratorem. » (Can. 1088, § 1.)

Art. II

DE HIS QUAE CONSENSUM VITIARE POSSUNT

30. — Consensus matrimonialis essentialiter est actus voluntatis, sed supponit, ut patet, praevium actum intellectus. Nihil enim volitum, quin praecognitum. Quare consensus matrimonialis impediri potest tum a causis quae obstant plenae cognitioni mentis, tum ab illis quae directe influunt in voluntatem.

Ex parte intellectus consensum vitiare possunt defectus rationis, ignorantia et error; ex parte voluntatis, simulatio, conditio apposita, vis seu metus. De singulis hujusmodi fontibus consensus invalidi nobis nunc est agendum.

§ 1. Defectus Rationis et Ignorantia.

31. — I. **Defectus usus rationis.**

a) Qui *actualiter* rationis non sunt compotes, quales sunt : infantes, perfecte ebrii, dormientes, hypnotizati, et etiam *amentes* i. e. qui circa omnia insaniunt invalide

matrimonium contrahunt. Ratio evidens est quia humani actus sunt incapaces.

b) Quid de *dementibus* i. e. qui circa aliquam materiam insaniunt?

R. Certissime invalide contrahunt, si praecise circa matrimonium insaniunt. Secus, in praxi dubium saepe erit eorum matrimonium.

32. — II) **Ignorantia.**

« **Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.** » (Can. 1089 § 1.)

a) Proinde invalide contrahit nesciens matrimonium consistere in traditione et acceptatione mutua juris in corpus in ordine ad generationem.

Sane non requiritur cognitio praecisa et exacta modi quo fit coitus, sed oportet ut contrahentes sciant filios per conjuncta corpora generari vel saltem « concursu quodam et familiaritate parentum prolem obtineri, et a matre gigni » (1). Alias deest cognitio de objecto formali contractus et consequenter in illud consensus.

b) In foro externo ignorantia circa essentiam matrimonii ante pubertatem praesumitur, post pubertatem vero scientia praesumitur. (Can. 1081 § 2.) Illa tamen praesumptis est juris tantum, admittens scilicet probationem in contrarium.

c) Quaecumque alia ignorantia praeter illam quae versatur circa matrimonii essentiam, matrimonium non facit invalidum, etiamsi, ea non existente, numquam matrimonium contractum esset.

§ 2. Error.

33. — I) **Notio.**

Error in genere est falsum judicium.

In consensu matrimoniali inveniri potest *error* multiplex :

(1) VERMEERSCH, *Theologia Moralis*, t. IV, n. 39.

a) Error *juris* : versatur circa naturam, proprietates, bona essentialia matrimonii.

Error *facti* : versatur circa aliquod factum.

b) Error *vincibilis* : i. e. qui facile tolli potest.

Error *invincibilis* : i. e. qui nullatenus vel difficulter tolli valet.

c) Error *substantialis* : i. e. qui circa personam contrahentem vel matrimonii essentialia versatur.

Error *accidentalis* : i. e. qui in personae qualitates fertur.

d) Error *antecedens* : i. e. qui talis est ut, cognita veritate, contractus locum non habuisset.

Error *concomitans* : i. e. qui talis est ut, etiam cognita veritate, matrimonium pariter contractum esset.

II) **Quinam error matrimonium invalidum reddat, quinam non.**

A. Error facti.

34. — a) « **Error circa personam invalidum reddit matrimonium.** » (Can. 1083 § 1.)

Ratio est quia talis error est substantialis et jure naturae vitiat consensum qui in personam fertur plane diversam cum ea quacum contrahitur. Nihil refert in casu errorem esse antecedentem vel mere concomitantem.

35. — b) **Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium generatim non irritat.** (Can. 1083 § 2.)

Ratio est quia talis irritatio nec a jure naturali, nec a jure positivo inducitur. Non a jure naturali, quia nonobstante isto errore circa accidentales qualitates, manet tamen substantia contractus, scilicet ipsa persona. Non a jure positivo quod, ut patet ex can. citato, expresse contrarium edicit.

36. — c) **Error tamen circa qualitatem matrimonium invalidat, si ipse redundet in errorem personae.** (Can. 1083 § 2, 1°.)

Ratio est, quia tunc error fit vere substantialis, qui matrimonium irritat ipso jure naturae.

Duplici vero in casu id verificatur :

1°) si qualitas est omnino propria et individualis alicujus determinatae personae, v. g. si quis intendat matrimonium inire cum filia primogenita regis.

2°) si quis qualitatem quantumvis accidentalem ut conditionem sine qua non intendat, aut si adjuncta probent ejus consensum saltem implicite fuisse conditionatum.

37. — d) **Invalidum est matrimonium « si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum sit serva servitute proprie dicta. »** (Can. 1083 § 2, 2°.)

Tria concurrere oportet ut ex hoc capite matrimonium irritetur, et caeteroquin ex jure tantum ecclesiastico :

1° servitus proprie dicta in altera parte tantum.

2° libertas alterius partis.

3° ignorantia ex parte libera servitutis compartis.

Istud impedimentum utpote a solo jure ecclesiastico inductum, non ligat infideles inter se contrahentes, nisi forsan simile impedimentum lex civilis statuerit. Imo si pars infidelis libera partem fidelem servam in matrimonium ducat, cujus servitutem nescit, tunc adhuc videtur valere matrimonium. Ratio est quia Ecclesia videtur invalidare consensum solius partis liberae. Jamvero in casu, cum pars libera sit infidelis, ejus consensus aufugit legem ecclesiasticam, et ita nullo modo nec indirecte pars infidelis impedimento illo tenetur. (2)

B. **Error juris.**

38. — a) **Error circa ipsum essentiale objectum contractus matrimonialis, i. e. circa jus mutuum in corpus, invalidat consensum et consequenter matrimonium.**

Ratio est quia in casu error idem efficit ac ignorantia. Jamvero, ut supra dictum est n° 32, ignorantia circa objectum essentiale matrimonii matrimonium irritum reddit.

---

(2) Ita GASPARRI, *De Matrim.*, n. 640, contra WERNZ, *Jus. Decret. IV*, n. 242, nota 27. — Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Juris Canonici*, t. II, n. 370.

39. — b) « **Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.**» (Can. 1084.)

Adverte in hoc textu verbum « *simplex* » error, i. e. error sistens in intellectu quin sequatur actus positivus voluntatis ipsi conformis. Talis enim error non tollit voluntatem contrahendi verum matrimonium.

40) c) **Si vero tali errori adjungatur expressa et positiva intentio excludendi aliquod ex essentialibus proprietatibus vel bonis matrimonii, invalidum est matrimonium, saltem si talis intentio praevaleat intentioni contrahendi matrimonium.**

Ratio est quia talis intentio exclusiva est ipsius matrimonii, quia ista sunt a vero matrimonio inseparabilia.

§ 3. Simulatio.

41. — I. **Notio.**

Simulatio seu *fictio* in hoc constitit quoad matrimonium contrahendum, quod, verbis quae matrimonialem consensum exprimunt exterius serio et rite prolatis, alter vel uterque contrahens interiorem consensum cohibeat.

Intentio simulatoris triplex concipi potest : 1. *non contrahendi;* 2. contrahendi quidem sed non *assumendi obligationem;* 3. *non adimplendi obligationem.*

II. **Quid efficiat simulatio relate ad matrimonii valorem.**

42. — a) **Intentio non contrahendi matrimonium irritat.**

Patet, quia talis simulatio omnem consensum voluntatis excludit. Cfr. Can. 1086 § 2.

43. — b) **Intentio non assumendi obligationem pariter matrimonium invalidum facit.**

Ratio est quia sine susceptione obligationis matrimonialis jam non concipi potest ipse matrimonialis consensus, sine quo non est matrimonium. Cfr. ibid.

44. — c) **Intentio obligationes matrimoniales non adimplendi matrimonium non invalidat, sed grave peccatum est et injusta compartis deceptio.**

In hac enim simulatione nihil adest quod contrarietur ipsi matrimoniali consensui.

45. — III. **An peccet et qualiter ficte consentiens.**

a) Certissime *grave* peccatum est, absque gravi causa, ficte in matrimonio contrahendo consentire.

b) Ita simulate consentiens, peccat contra *justitiam* erga compartem nisi ipsa sit complex simulationis, contra *veritatem* in re *gravi*, contra *castitatem*, si intendat matrimonium consummare. An verum sacrilegium committat disputatur inter Doctores.

c) *Ex gravi motivo* licet ficte contrahere, sed, ut patet, excludere omnino oportet intentionem matrimonium consummandi.

d) Qui cum gravi culpa ficte contraxit, tenetur ex justitia damnum comparti illatum reparare, et ordinarie debet verum praestare consensum.

§ 4. Conditio.

46. — I. **Notio.**

Conditio est circumstantia a qua uterque vel alter contrahens vult valorem sui consensus pendere.

47. — II. **Liceitas conditionis apponendae matrimoniali consensui.**

Quamvis de hac re sileat Codex juris canonici, plures auctores censent non licere contrahere matrimonium sub conditione, nisi ob gravia motiva et ex consensu Episcopi, quia putant talem modum contrahendi alienum esse ab Ecclesiae praxi et multis gravibusque incommodis ansam praebere.

Certo non licet ita contrahere, inscia comparte aut omissis iis quae ad probationem in foro externo conditionis appositae necessaria sint.

III. **De influxu conditionis in matrimonii valorem.**

48. — a) « **Si (conditio) sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adjecta habeatur.** » (Can. 1092, 1°.)

Nonobstante appositione hujus conditionis matrimonium censetur ab initio validum, quia talis conditio reputatur a lege ut non exsistens et non serio adjecta.

Sed nota hic agi de simplici legis *praesumptione*, quae omnino debet cedere veritati. Si igitur uterque vel alter contrahens suum consensum omnino velit a tali conditione pendere, vel suspenditur valor matrimonii usquedum eventus verificetur, vel ab initio matrimonium invalidum est, juxta qualitatem appositae conditionis. Si conditio de futuro necessaria vel turpis, suspenditur matrimonii valor; si conditio impossibilis, nullum est matrimonium.

49. — b) « **Si (conditio sit) de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum.** » (Can. 1092, 2°.)

Hujusmodi conditio excludit in contractu matrimoniali aliquod elementum essentiale. Et ideo ipso jure naturae talis conditio matrimonium reddit invalidum, utpote destructiva ipsius matrimonialis consensus. Repugnant enim ad invicem haec duo : aliquid dare velle, et illius rei elementum essentiale dare nolle.

Conditiones contra matrimonii substantiam sunt illae quae bonis matrimonii essentialibus opponuntur *prolis* scil., *fidei* et *sacramenti*.

Contra bonum prolis : v. g. si devites conceptionem vel abortum procures.

Contra bonum fidei : v. g. si adulterium committas.

Contra bonum sacramenti : v. g. modo jus habeam pro lubitu te dimittendi.

Nihil refert utrum illae conditiones sint in pactum partem deductae explicite inter partes necne, dummodo omnino excludant assumptionem alicujus obligationis essentialis. Sed exsistentia pacti facilius demonstrat factum conditionis appositae.

In praxi attendat sacerdos qui de casu hujusmodi conditionis judicare debet plerumque tales appositas condi-

tiones potius significare voluntatem *non adimplendi* obligationes quam *non assumendi*. Et si res ita sit, certum est valere matrimonium. (Cfr. supra n. 44.)

50. — c) « **Si (conditio sit) de futuro licita, valorem matrimonii suspendit.** » (Can. 1092, 3°.)

Verificata conditione matrimonium statim fit validum, quin requiratur consensus novus.

Si vero conditio *non verificetur* eventu, consensus conditionatus omnino evanescit.

51. — d) « **Si (conditio sit) de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non.** » (Can. 1092, 4°.)

§ 5. Vis et Metus.

52. — I. **Notio.**

a) *Vis* definiri potest : « majoris rei impetus exterior qui repelli non potest. »

Metus est : « mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa. »

b) Distinguitur metus :

1° In metum *antecedentem*, i. e. qui est causa operationis quae dicitur fieri *ex metu;* et *concomitantem*, qui non influit in operationem sed una cum ipsa exsistit. Et talis operatio dicitur fieri *cum metu.*

2° In metum *ab extrinseco*, i. e. qui a causa *externa* incutitur; et *ab intrinseco* i. e. cujus causa est *interna* metum patienti.

3° In metum *justum*, quando scilicet malum quod timetur stricto jure infligi potest, justitia illaesa; et *injustum*, quando inflictio illius mali justitiam laederet.

4° In metum *gravem*, qui adest quando haec duo simul conveniunt : malum *grave* sive absolute, sive relative ad personam quae metum patitur, et illius *periculum imminens*, saltem in opinione timentis, quin sibi praesto sit aliud evadendi medium quam eligere id quod nollet; *metum levem*, quando scilicet duo praedicta non verificantur; metum *reverentialem*, qui est timor incurrendi

indignationem parentum seu superiorum. De se est levis, sed ex adjunctis potest gravis fieri.

II. De influxu vis et metus in matrimonialem consensum.

53. — a) **Vis absoluta reddit matrimonium sub ejus influxu contractum ipso jure naturae invalidum.**

Ratio est quia violentia physica excludit omnem actum humanum et proinde omnem voluntatis consensum.

54. — b) « **Invalidum est matrimonium initum ob.... metum gravem ab extrinseco et injuste incussum.** » (Can. 1086 § 1.)

Quinque ergo conditiones necesse est adesse ut metus invalidet consensum matrimonialem :

1°) Metus oportet ut sit *gravis* sive absolute sive relative.

In dubio reputatur levis, quia matrimonium gaudet favore juris.

2°) *Ab extrinseco* et quidem a causa *libera* sit illatus.

Parum refert quaenam sit persona metum inferens.

3°) Injustus sit quoad *substantiam* vel saltem quoad *modum*.

Injustus est metus quoad substantiam quando injusta est comminata poena. Injustus quoad modum, quando poena ipsa justa est, sed juris ordo non servatur.

4°) Sit *in ordine ad matrimonium*, i. e. talis a quo ut quis se liberet matrimonium eligere cogatur.

Parum refert an ad matrimonium determinatum vel ad matrimonium in genere quis metu cogatur.

Sed utrum requiratur in auctore metus intentio extorquendi consensum necne auctores disputant.

Plerique necessitatem hujus intentionis asserunt (3).

Alii et verius, ut nobis videtur, negant talem intentionem requiri (4). Verba enim Codicis « metus a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium » (Can. 1087 § 1) a praedicta intentione abstrahunt.

---

(3) De Smedt, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 537. — Vlaming, *Praelect. de Jure matr.*, ed. alt. 1920, n. 539. — Marc-Gesterman, *Inst. morales Alphons.*, ed. 18., t. II, n. 1979, 4°. — Prümmer, *op. cit.*, n° 795.

(4) Capello, *De matrimonio*, n° 606, 4°. — Vermeersch-Creusen, *op. cit.*, n. 377 d).

Practice fere semper hujusmodi intentio in eo qui metum incutit invenietur. Sed etiam accidere potest ut metus incutiatur non praecise ad extorquendum consensum, nec tamen alia via pateat praeter matrimonium ineundum qua possit aliquis se liberare a malo gravi et injusto. In tali consensu videntur verba canonis omnino verificari et proinde matrimonium esse invalidum.

Quidquid sit de ista controversia, oportet semper ut ex parte minas patientis matrimonium appareat ut unicum medium se vel suos liberandi a malo gravi et injusto.

5°) *Perseveret* metus in actu celebrationis matrimonii. Si igitur pars metum passa illum deponat ante matrimonium celebratum et libere consentiat, matrimonium valet.

55. — III. **Quonam jure metus matrimonium dirimat.**

a) Si metus tantus sit qui usum rationis et liberum arbitrium auferat, ex jure naturae nullum est matrimonium.

b) Omnes consentiunt metum gravem et caeteris conditionibus supradictis vestitum, matrimonim dirimere ex jure ecclesiastico.

c) An autem metus dirimat matrimonium etiam ex jure naturali controvertitur. Affirmat S. Thomas. De facto in impedimento metus nunquam Ecclesia dispensat.

56. — IV. **Quid de matrimonio non baptizatorum quod ex metu ut supra vestito contrahitur.**

a) Si cum parte fideli contrahat infidelis, nullum est matrimonium, sive fidelis sive infidelis metum patiatur.

b) Idem valet si lex civilis invalidum declaret matrimonium ex metu contractum.

c) Extra hunc duplicem casum, dubium est tale matrimonium ab infidelibus contractum, quia probabiliter istud impedimentum naturalis est juris.

MUZEUM W PRZEMYŚLU

CAPUT III

De Matrimonii Praeparatione

In hoc capite de eis agemus quae matrimonio praevia sunt, scilicet :

I De sponsalibus; II De examine sponsorum et bannorum publicatione.

Art. I

DE SPONSALIBUS

57. — I. **Notio.**

Sponsalia sunt futuri matrimonii mutua promissio inter personas habiles legitime data.

58. — II. **Conditiones validi contractus sponsalitii.**

Quatuor conditiones requiruntur :

a) *Promissio* et quidem vera, deliberata, non vi aut metu injusto et gravi extorta.

b) *Mutua* promissio : secus habetur non sponsalitius contractus, qui necessario est bilateralis, sed simplex matrimonii promissio.

c) *Habilitas* contrahentium : debent esse tales qui aliquando valide et licite matrimonium inter se inire valeant. Omnis enim promissio rei impossibilis vel illicitae plane invalida est.

d) *Scripta* promissio.

Ante decretum « Ne temere » a S. C. C. 2 Aug. 1907 promulgatum et a die 19 apr. 1908 pro tota Ecclesia latina vigens, valida erant sponsalia quocumque modo ex jure naturali sufficienti manifestata.

Sed illud decretum novam induxit disciplinam vi cujus nulla in utroque foro valida sunt sponsalia, nisi : 1. scripto facta 2. cum datae appositione 3. debite subsignata.

1) Scriptura a quocumque exarari vel etiam typis impressa esse potest. Conditio apposita vel tempus additum ad finiendam obligationem, si cum talibus clausulis contractus ineatur, necessario in ipsa scriptura exprimenda sunt.

2) *Data* seu appositio diei, mensis et anni, de *necessitate*, *locus* autem in quo sponsalia ineuntur *congruenter* indicentur (1).

3) *Subsignari* scriptura debet tum ab utraque parte quae sponsalia contrahit, tum a parocho vel loci Ordinario *aut* duobus testibus.

Si altera vel utraque pars contrahens scribere nesciat vel nequeat, id in scriptura consignetur et tunc *alius* testis superaddi debet qui cum caeteris supra indicatis scripturae subsignet.

Omnes qui scripturae subsignare debent, oportet ut *simul* sint congregati, cum munus illud adimplent.

Nihil obstat quominus per procuratorem sponsalia contrahantur, cum id nullo jure vetitum sit.

59. — III. **Quinam comprehendantur sub nomine Ordinarii loci et parochi.**

Ordinarius loci et parochus, ut diximus, sunt in contractu sponsalitio testes privilegiati. Sufficit enim solus Ordinarius loci vel parochus ut cum contrahentibus scripturae subsignet, dum, ipsis absentibus, *duo* requiruntur testes subsignantes.

a) Nomine *Ordinarii loci* veniunt praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio : Episcopus residentialis, Abbas seu Praelatus nullius, Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius seu Praefectus apostolicus, et omnes qui, praedictis deficientibus, eorum munus ad interim exercent, v. g. Vicarius Capitularis, mortuo vel amoto Episcopo.

b) Nomine *parochi* veniunt :

1. *Parochus* proprie dictus.

(1) S. C. C., 27 jul. 1908. ad 2.

2. *Quasi-parochus*, i. e. qui quasi-paroeciam seu partem Vicariatus seu Praefecturae apostolicae regit.

3. *Vicarius curatus*, i. e. parochus in paroecia cujus cura habitualis ad capitulum vel monasterium pertinet.

4. *Vicarius oeconomus* qui vacantis paroeciae regimen suscipit.

5. *Vicarius substitutus*, i. e. sacerdos ab Ordinario loci probandus qui parochi *ultra hebdomadam* absentis in omnibus tenet locum.

6. *Vicarius substitutus* ab Ordinario designatus ut vices gerat parochi ex sententia beneficio privandi, sed S. Sedem adeuntis.

7. Juxta casus, vel *vicarius cooperator* primus vel munere antiquior, vel *parochus vicinior*, vel *Superior* domus religiosae, qui ante oeconomi constitutionem paroeciae vacantis regimen assumit, nisi aliter fuerit provisum.

8. *Vicarius adjutor*, quando in omnibus parochi supplet vicem, vel etiamsi ex parte suppleat, quando cura animarum in matrimoniali materia ipsi in litteris deputationis concreditur.

Non autem vicarii cooperatores, etiam jus habentes matrimoniis assistendi possunt parochum supplere, quia munus illud sponsalibus assistendi non est delegabile (2).

9. *Capellanus* seu *rector* pii loci cujusvis generis a paroeciali cura exempti, modo plena ipsi commissa sit potestas paroecialis, sed tantum quoad sibi concreditas personas et in loco ubi praeest (3).

Parochus vel Ordinarius non valide assistit sponsalibus, nisi post adeptam beneficii possessionem (4).

60. — IV. **Testes.**

Nulla specialis qualitas in ipsis a jure exigitur. Sufficit ut capaces sint testimonii ferendi et scripturae subsignandi.

Acatholicos adhibere non decet.

---

(2) S. C. C., 28 mart. 1908, ad 6.

(3) S. C. C., 1 febr. 1908, ad 10.

(4) Cfr. CAPELLO, *op. cit.*, nº 92.

61. — V. **Quid faciat conditio in contractu sponsalitio apposita.**

a) Posita conditione *de praesenti*, statim valida vel invalida sunt sponsalia, prout verificatur conditio vel non.

b) Si de *futuro necessario*, statim valent.

Si de *futuro impossibili*, invalida sunt, nisi constet conditionem jocose esse adjectam.

Si de *futuro contingenti resolutiva*, v. g. si dicatur : Promittimus mutuo matrimonium, nisi parentes consensum suum recusent, sponsalia valent statim, sed, conditione resolutiva verificata, dissolvuntur.

Si de futuro contingenti *suspensiva et honesta*, suspenditur valor contractus cum obligatione eventum expectandi. Conditione verificata, statim sponsalia fiunt ipso facto absoluta. Non verificata conditione, omnis obligatio cessat, nisi conditio explicite vel implicite revocata fuerit, aut altera pars quominus conditio verificetur culpabiliter impediverit.

Si de futuro *inhonesta et contra substantiam* sponsalium vel matrimonii, jure naturae invalidus est contractus.

Si vero inhonesta conditio *non sit* contra substantiam sponsalium vel matrimonii, videntur adhuc invalida sponsalia. Sunt tamen qui eorum validitatem propugnant (5).

62. — VI. **De sponsalium effectibus.**

Tres praecipue assignantur :

a) Gravis obligatio justitiae matrimonium tempore debito contrahendi.

Non tamen adhuc jure novo datur ex sponsalibus actio coram tribunali ecclesiastico ad petendam matrimonii celebrationem, sed solum ad obtinendam damnorum reparationem. (Can. 1017 § 3.)

b) Inhabilitas *valide* contrahendi sponsalia cum alia persona.

c) Inhabilitas *licite* contrahendi matrimonium cum alio.

(5) CAPELLO, *op. cit.*, n. 100.

Praedicta tamen inhabilitas non est stricte canonicum impedimentum, licet mortaliter peccet qui, fracta sine justa causa fide sponsalitia, matrimonium cum alia persona contrahit.

63. — VII. **De sponsalium dissolutione.**

Variis modis sponsalia legitime dissolvi possunt :

a) Per *mutuum consensum* ex utraque parte plene liberum.

b) Per *notabilem mutationem* quae supervenit, sponsalibus jam contractis, sive res sit nova, sive noviter cognita.

Notabilis censetur mutatio quae prius cognita a sponsalibus deterruisset.

Hujusmodi mutatio accidere potest : In bonis animae, corporis, status vel fortunae, vel etiam in externis circumstantiis, puta si inter parentes sponsorum graves exortae sint inimicitiae, etc.

c) *Per violationem fidei sponsalitiae* ab una parte : v. g. si una pars in fornicationem incidat cum alia persona, vel cum alia matrimonium aut sponsalia contrahat, vel indebite celebrationem matrimonii differat. Tunc enim pars innocens omnino liberatur.

d) *Per electionem status perfectioris.*

Juxta omnes enim, ex ipso jure naturali, in omni sponsalitio contractu semper adesse censetur haec implicita conditio : « nisi statum perfectiorem elegerim ».

Jamvero statum perfectiorem eligit non solum qui statum religiosum vel clericalem suscipit, ut omnes fatentur, sed etiam qui votum privatum emittit perfectae castitatis, virginitatis, non nubendi, sacros ordines suscipiendi vel religionem ingrediendi.

Pars relicta statim fit omnino libera. Sed plerique docent reviviscere sponsalium obligationem ex parte assumentis statum perfectiorem, si illum statum postea relinquat, modo ille perfectior status fuerit *ex natura sua* temporaneus.

e) Per *dispensationem Summi Pontificis* ex justa causa.

Papa enim qui dispensare valet super matrimonio rato non consummato, a fortiori jus habet dispensandi in contractu minus firmo sponsalium.

Art. II

DE OFFICIO PAROCHI ANTE MATRIMONIUM CONTRAHENDUM

Ante matrimonii celebrationem duo sunt munia a parocho implenda : sponsos scilicet examinare et proclamationes antenuptiales peragere.

De utroque munere nobis nunc agendum est in distinctis paragraphis.

§ 1. Examen Sponsorum.

64. — Praevie ad bannorum publicationem debet parochus nupturientes, serio examini subjicere, tum circa eorum liberum statum et impedimenta matrimonio forte obstantia, tum circa doctrinam christianam et specialiter conjugalia officia.

65. — I. **Examen de statu libero.**

Sub gravi peccato praescribitur parocho ut diligenter examen instituat circa immunitatem sponsorum ab omni impedimento quod matrimonium invalidum vel illicitum reddat. Nulla causa ab illa praescriptione excusat et, etiam in mortis periculo, meliori modo possibili servari debet.

a) 1. Imprimis a sponsis *testimonium suscepti baptismi* requirat, quando scilicet in alia paroecia baptismum susceperint, et hoc licet pars altera sit heterodoxa.

2. Si certo constet baptismum vel nullatenus vel invalide fuisse collatum, baptismus conferendus est *absolute*, nisi, ut patet, agatur de heterodoxo, recusante fidem catholicam amplecti.

3. Si vero, facta diligenti investigatione, baptismus positive dubius maneat, etiamsi dubium sit tenuissimum, conferri debet *sub conditione*, nisi iterum agatur de haeretico vel schismatico nolente converti.

4. Testimonium baptismi debet esse *recens*, si de catholicis agatur, ut inservire valeat ad detegenda impedimenta forte exsistentia ligaminis, voti solemnis, vel ordinis sacri. Nam ex praescripto juris matrimonium con-

tractum, professio religiosa solemnis, ordinis subdiaconatus susceptio, declaratio authentica nullitatis matrimonii, debent adnotari in libro baptismatum, et hujusmodi adnotationes in testimonio baptismi sunt referendae. (Can. 470, § 2.)

Pro acatholicis sufficit etiam non recens baptismi testimonium, sed ab illis quoque semper exigendum est, nisi agatur de matrimonio contrahendo cum dispensato impedimento disparitatis cultus.

5. Testimonium baptismi ex libro baptismatum extractum est semper exigendum, quando haberi potest.

Si vero haberi non possit : 1° « In *periculo mortis*, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio jurata contrahentium se baptizatos fuisse. » (Can. 1019, § 2.)

2° *Extra* mortis periculum, « satis est unus testis omni exceptione major, vel ipsius baptizati jusjurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit. » (Can. 779.)

b) Inquirere debet parochus an aliquod adsit impedimentum dirimens vel prohibens, etiamsi de occultis impedimentis agatur. Hujusmodi inquisitio fiat praesertim sponsos interrogando, sed, si agatur de occultis impedimentis, seorsim unumquemque. Si adsit aliquod impedimentum occultum *infamans*, non tenentur nupturientes illud parocho revelare, sed sufficit illud revelare confessario.

c) Parochus a sponsis requirat an libere contrahant, an vi, metu vel precibus importunis ad matrimonium non impellantur. Mulierem praesertim de libero consensu interrogare praestat.

66. — II. **Examen de doctrina christiana et de officiis status matrimonii.**

Nisi ex adjunctis id omnino pateat, parochus sponsos interroget de praecipuis veritatibus fidei catholicae et ignorantes edoceat. Diligenter illos instruat de officiis propriis conjugum et parentum. Nostris praesertim temporibus insistat in ostendendo gravem obligationem conjugum nihil agendi quod prolis generationem impediat. Demum eos « vehementer adhortetur ut ante matrimonii

celebrationem sua peccata diligenter confiteantur et S. S. Eucharistiam pie recipiant. » (Can. 1033).

Meminerit parochus saepius celebrationem matrimonii ultimam esse occasionem sibi datam aliquos ex suis parochianis alloquendi, et ideo illa occasione utatur eos adhortandi ad vitam vere christianam.

§ 2. Banna publicanda.

67. — I. **Notio.**

Banna sunt publicae denuntiationes quae praemitti debent matrimonio celebrando, eo fine ut facilius detegantur canonica impedimenta forsan exsistentia. Conc. Later. IV (1215) *unam* proclamationem praescripserat. Trident. (6) statuit *tres* proclamationes faciendas esse a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis inter missarum solemnia. Codex idem praescribit, cum paucis mutationibus. (C. C. 1022-1030.)

68. — II. **Obligatio bannorum.**

1. *Sub gravi* legem illam obligare omnes consentiunt. Gravis enim est finis istius legis, qui est impedimenta detegere et secreta matrimonia vitare.

Tres proclamationes omittere, salva necessitate vel dispensatione, peccatum esset mortale. Juxta plures grave esset etiam duas omittere. Unam omittere levis culpa est.

2. Prohibetur bannorum proclamatio in matrimoniis mixtae religionis vel disparis cultus, nisi de licentia Episcopi, et scandalo remoto. Sed tunc nulla fit mentio religionis partis acatholicae. (Can. 1026).

69. — III. **Tempus proclamationum.**

a) « Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter missarum solemnia aut inter alia divina officia, ad quae populus frequens accedat. » (Can. 1024).

Debent ergo publicationes fieri :

(6) *Sess. 24. c. 1, de ref. matrim.*

1) Tribus diebus *dominicis* vel festis de *praecepto*, i. e. quibus obligatio missae assistendi fidelibus imponitur.

2) *Continuis* : nullo scilicet die festo intermisso.

Veniale tantum vel etiam, rationabili causa exsistente, nullum est peccatum omittere unum diem festum intermedium.

3) In ecclesia inter *missarum solemnia* vel inter *alia officia*.

Possunt igitur non solum in missa solemni, sed in quocumque officio, modo frequens populus adesse soleat, fieri publicationes.

b) 1) Nisi rationabilis causa aliud postulet, parochus matrimonio ne assistat antequam tres dies decurrerint ab ultima publicatione. (Can. 1030 § 1).

2) « Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur. » (Can. 1030 § 2).

70. — IV. **Publicationum forma.**

a. Varia est in diversis dioecesibus. Debent fieri *vulgari* lingua et *alta et intelligibili* voce.

b. Sed « potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae *affixionem* nominum contrahentium per spatium saltem *octo dierum*, ita tamen ut, hoc spatio, *duo dies festi de praecepto* comprehendantur. » (Can. 1025.)

71. — V. **Locus in quo publicationes faciendae sunt.**

a. Faciendae sunt in *paroecia* tum *sponsi tum sponsae*. Et si habeant plura domicilia vel quasi-domicilia in pluribus paroeciis, in illis omnibus banna publicentur, salva Ordinarii dispensatione.

b. « Si pars alio in loco *per menses sex* commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu conjecturas*) super status libertate colligendas praescribat. » (Can. 1023, § 2.)

*) conjecturas

c. « Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur. » (Can. 1023 § 3) (7).

72. — VI. **Bannorum dispensatio.**

a. « Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti arbitrio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare » (Can. 1028 § 1).

« Si plures sint Ordinarii proprii, ille jus habet dispensandi, in cujus dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest. » (Can. 1028 § 2).

b. Episcopus non potest dispensare nisi ex causa *legitima*. Secus dispensatio est *invalida*, quia in hoc casu dispensat Ordinarius in lege communi, i. e. in lege sui Superioris.

c. Ad aestimandum quaenam causa sufficiens habenda sit, oportet non solum ipsam causam ponderari, sed etiam inspicere utrum moralis certitudo an sola probabilitas major minorve adsit de absentia cujuscumque impedimenti.

Si moraliter constet nullum esse impedimentum, quaelibet rationabilis causa, imo ipsa petitio sponsorum, est causa sufficiens dispensandi etiam ab omnibus publicationibus.

Si vero dubium positivum adsit de aliquo impedimento, nullatenus, ne quidem ex causa gravissima, valet Ordinarius dispensare ab omnibus publicationibus.

Si demum nec moralis certitudo de absentia, nec positivum dubium de exsistentia impedimenti, habeantur, ob varias causas potest Ordinarius dispensare (8).

---

(7) In Belgio *Conc. Mechl.* 1920 illud praescriptum sic moderatur : Quando ipsi constat « per documenta publica, per privata testimonia vel documenta fide digna una cum affirmatione jurata contrahentium, nihil matrimonio obstare ac praesertim nupturientes liberos esse, parochus non tenetur rem Ordinario exponere, nec publicationes in alia paroecia faciendae sunt. »

(8) CAPELLO, *op. cit.*, n. 168.

73. — VII. **Obligatio impedimenta revelandi.**

a) 1. « Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare. » (Can. 1027).

Gravis est ista obligatio, quia finis legis est magni momenti, scilicet impedire matrimonia illicita et invalida. Nec a jure tantum positivo, sed a naturali quoque jure procedit.

2. Si aliquam infamiam sponsis inducat revelatio, ipsi prius monendi sunt, si sit possibile; quod si monitio non prosit, tunc parocho reveletur impedimentum.

b) Sunt tamen *causae* quae a revelatione *excusant* :

1. *Inutilitas* denuntiationis : puta si jam noverit parochus impedimentum, vel ab impedimento in foro conscientiae dispensatum sit, etc.

2. *Grave damnum* proprium vel alienum.

Sed tunc tenetur etiam qui impedimentum cognoscit impedire matrimonium in quantum potest.

3. Secretum *sacramentale* vel *professionale*, non autem naturale vel promissum etiam cum juramento.

Tunc etiam tenetur sic excusatus monere, si potest, nupturientes.

74. — VIII. **Quid parocho agendum, si aliquod impedimentum detegatur.**

Impedimentum vel dubium est vel certum.

a) *Impedimentum dubium.*

« 1° Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub juramento duos saltem fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cujus notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes.

« 2° Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante incoeptas vel expletas publicationes.

« 3° Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter judicaverit. » (Can. 1031 § 1).

b) *Impedimentum certum.*

« 1° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Poenitentiariam.

« 2° Si sit publicum et detegatur ante incoeptas pu-

blicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat et rem ad Ordinarium referat. » (Can. 1031 § 2).

75. — IX. **Testimonium de peractis publicationibus.**

a. « Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum qui matrimonio assistere debet. » (Can. 1029).

b. Ad authenticitatem illius testimonii (*lettres de liberté*), requiritur ut a parocho rite subsignetur et paroeciali sigillo muniatur.

76. — X. **Matrimonium vagorum.**

« Matrimonio vagorum... parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit. » (Can. 1032).

77. — XI. **Matrimonium filiorum minorum.**

« Parochus graviter filios familias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius Ordinario. » (Can. 1034).

CAPUT IV

De Impedimentis Matrimonii in Genere et de Impedimentis mere Prohibentibus in Specie

Praecipuum locum in tractatu pastorali de matrimonio sibi vindicant impedimenta, quae sive ex praecepto legis naturalis aut divinae sive ex ecclesiastico statuto obstant validae vel licitae matrimonii celebrationi. Ne autem praesens caput longum nimis evadat, in hoc solum agemus de impedimentis in genere consideratis et de impedimentis prohibentibus. In capite vero sequenti singula impedimenta dirimentia studiosi lectoris examini subjiciemus.

Art. I

DE IMPEDIMENTIS IN GENERE

78. — I. **Notio impedimenti matrimonialis.**

a. *Impedimentum* dicitur quaedam circumstantia quae ex juris dispositione, arcet a contractu matrimoniali seu licite seu valide ineundo.

b. *Divisio* : 1° ratione *auctoris* distinguuntur impedimenta juris *divini,* sive naturalis, sive positivi; et juris *humani,* sive *ecclesiastici* (pro baptizatis), sive *civilis* (pro infidelibus).

2° ratione *effectus* distinguuntur impedimenta *dirimentia* et mere *prohibentia.*

« *Dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur. » (Can. 1036, § 2.)

Prohibens seu « *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur. » (ibid. § 1.)

3° ratione *ambitus* impedimenta sunt *absoluta* i. e. quae matrimonio obstant cum quacumque persona; vel *relativa*, i. e. quae matrimonio obstant solum cum quibusdam personis contrahendo.

4° ratione *divulgationis* impedimentum erit *publicum* vel *occultum*. *Publicum* si in foro externo probari potest; secus *occultum*. (Can. 1037.)

5° ratione *durationis* impedimentum est *perpetuum*, i. e. quod ex se semper manet; vel *temporaneum*, quod lapsu temporis ipso facto cessat.

6° ratione *cognitionis* impedimentum potest esse *certum* vel *dubium*. Dubium autem afficiens impedimentum vel in ipsam *legem* fertur quae impedimentum inducit et tunc est dubium *juris;* vel ipsum *factum* incursionis impedimenti concernit, et tunc adest dubium *facti*.

7° ratione *dispensationis possibilis* distinguuntur impedimenta *dispensabilia*, in quibus scilicet Ecclesia potest et solet dispensare; et *indispensabilia*, in quibus Ecclesia vel non potest dispensare vel saltem nunquam dispensat.

79. — II. **Impedimentum dubium.**

a. Impedimentum dubium, in dubio juris mere *ecclesiastici*, considerandum est practice ut non exsistens. (cfr. Can. 15.)

b. Impedimentum juris ecclesiastici, dubium dubio *facti*, urget quidem, sed potest Ordinarius in eo dispensare, dummodo agatur de impedimento in quo Romanus Pontifex dispensare solet. (cfr. Can. 15.)

c. In dubio sive juris sive facti, sive juris simul et facti, quando de impedimento juris divini agitur, matrimonium celebrari nequit, nisi agatur de impedimento impotentiae. Tunc enim matrimonium non est impediendum, quia praevalet jus naturale matrimonium contrahendi. (Cfr. Can. 1068 § 2).

80. — III. **Impedimentum ignoratum.**

Ignorantia, licet omnino invincibilis, non obest quin impedimentum dirimens incurratur et matrimonium cum tali impedimento contractum plane sit invalidum.

Ratio est quia « nulla ignorantia legum irrihantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi expresse dicatur, » (Can. 16 § 1) et nullum impedimentum matrimonii ab hac generali regula invenitur exceptum.

Art. II

IMPEDIMENTA MERE IMPEDIENTIA

81. — Tria tantum in jure codicis manent impedimenta mere impedientia, videlicet : mixta religio, votum et, in locis in quibus lex civilis adoptionem habet ut producentem impedimentum prohibens, cognatio legalis.

§ 1. Mixta Religio.

82. — I. **Notio.**

Mixta religio adest quando altera pars est catholica, altera vero sectae haereticae vel schismaticae adscripta *et* valide baptizata.

83. — II. **Mixta religio impedimentum matrimonii prohibens.**

a. *Ex jure ecclesiastico.*

« Severissime Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta. » (Can. 1060).

b. *Aliquando ex jure naturali et divino.*

« Quod si adsit perversionis periculum conjugis catholici et prolis, conjugium ipsa etiam lege divina vetatur. » (Ibid.)

84. — III. **Quid de matrimoniis mixtis Ecclesia sentiat.**

a. Ecclesia detestatur mixta matrimonia, quippe quae

communionem in rebus divinis cum heterodoxo importent, cum sponsi mutuo sibi administrent matrimonii sacramentum, et praeterea grave periculum pro parte catholica fidei amittendae et pro prole nascitura educationis acatholicae inducant. Et nisi duplex illud periculum praecaveatur et fiat remotum, ipsa lex naturalis divina hujusmodi connubia interdicit. (Can. 1060).

b. Quare « Ordinarii aliique animarum pastores :

1° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant;

2° Si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur. » (Can. 1064).

85. — IV. **Dispensatio ab hoc impedimento.**

Ad solam S. Sedem jure proprio pertinet, scilicet ad S. Officium (can. 247 § 3) etiam pro regionibus subjectis Sacrae Congr. de Propaganda Fide et Sacrae Congr. pro Ecclesia Orientali (Can. 252, § 4; Can. 257, § 2).

Episcopi talem potestatem non habent, nisi ipsis a S. Sede specialiter delegata sit, quam tamen obtinere solent.

86. — V. **Conditiones requisitae ad dispensationem.**

a. « Urgeant justae ac graves causae » (Can. 1061, § 1, 1°).

Tales causae sunt : bonum reipublicae christianae, grave periculum apostasiae pro parte catholica, timor matrimonii civilis vel coram ministello acatholico, spes fundata conversionis partis acatholicae, etc..

Dispensatio sine justa et gravi causa, si a Rom. Pontifice concessa, illicita sed valida, salvo jure naturali; si ab Episcopo vi indulti, illicita et invalida esset.

b. « Cautionem praestiterit conjux acatholicus de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, et uterque conjux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda. » (Can. 1061, § 1, 2°).

Praedictae cautiones etiam urgente mortis periculo sunt exigendae. (Can. 1043).

c. « Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento. » (ibid. 3°.)

d. « Cautiones *regulariter* in scriptis exigantur. » (ibid. § 2.)

Curandum est ut promissio scripta asservetur in archivo paroeciali vel episcopali.

« Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio, sive in alieno territorio, sedulo invigilent (Ordinarii aliique animarum pastores) ut conjuges promissiones factas fideliter impleant. » (Can. 1064, 3°.)

87. — VI. **Ritus in matrimonio mixto observandus.**

a. Parochus vel delegatus omnino debet consensum partium requirere et recipere coram duobus testibus, ut in caeteris matrimoniis. (Can. 1102 § 1.) Et ideo assistentia sic dicta *passiva* ut invalida omnino prohibetur, etiam in locis ubi antea fuerat concessa pro matrimoniis mixtis illicitis (1).

b. « Omnes sacri ritus prohibentur » (Can. 1102 § 2) et matrimonium extra ecclesiam celebratur. (Can. 1109 § 3.)

Sacerdos nullo habitu sacro induatur ad matrimonium celebrandum.

c. « Si tamen ex hac prohibitione gravia mala praevideantur », Ordinarius potest in hac lege dispensare et permittere ut in ecclesia matrimonium celebretur cum aliqua « ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione. » (Can. 1102 § 2; 1109 § 3.)

88. — VII. **Prohibitio adeundi ministrum acatholicum uti sacris addictum.**

a. « Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, conjuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. » (Can. 1063 § 1.)

Haec prohibitio non patitur dispensationem, utpote ad jus divinum pertinens.

Modus enim agendi qui hic reprobatur esset pro parte

(1) Cfr. Resp. *Pontificiae Commissionis ad Codicis Can. authentice interpretandos*, diei 10 mensis martii 1928 (*Act. Ap. Sedis*, v. XX, p. 120).

catholica sacrilega participatio ritui haeretico vel schismatico.

b. Nota verba « *uti sacris addictum* ». Etenim « non improbatur... quod, lege civili jubente, conjuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia. » (Can. 1063 § 3.)

c. « Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel jam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario. » (ibid. § 2.)

Gravis obligatio hic imponitur parocho, ut ex modo loquendi legislatoris constat. Gravissimae illae causae erunt v. g. periculum matrimonii invalidi vel apostasiae partis catholicae vel educationis prolis in haeresi, etc.

89. — VIII. **Poenae in delinquentes circa matrimonia mixta.**

a. « Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint. » (Can. 2375.)

Qui sint illi *legitimi actus ecclesiastici* vide can. 2256, 2° Ab illa poena incurrenda excusant quaecumque ignorantia praeter affectatam et metus etiam levis. Utitur enim canon hoc verbo « *ausi fuerint* », quod requirit plenam cognitionem et libertatem.

b. « Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici:

1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, contra praescriptum can. 1063 § 1;

2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;

4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt. » (Can. 2319 § 1.)

Illae censurae a parte catholica sola incurruntur. Praeterea ab excommunicatione in nn. 1° et 2°, excusat igno-

rantia non graviter culpabilis, ab ea quae sub nn. 3° et 4° continetur, quaecumque ignorantia praeter affectatam et metus etiam levis. Ratio istius diversitatis ex diverso modo loquendi eruitur, quia sub nn. 3° et 4° dicitur « scienter » et « praesumat ».

c. « Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi. » (ibid. § 2.)

Ideoque etiam subsunt poenis quae suspectum de haeresi afficiunt i. e. :

1. si monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur;

2. si intra sex menses a contracta poena completos sese non emendavit, habeatur tamquam haereticus, obnoxius haereticorum poenis. (Can. 2315.)

90. — IX. **Matrimonium cum apostatis a fide catholica, societatum damnatarum asseclis, publicis peccatoribus.**

Licet non statuat impedimentum proprie dictum, Ecclesia tamen improbat matrimonium suorum filiorum cum illis pessimis personis.

a. « Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abjecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt. » (Can. 1065 § 1.)

b. « Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adjunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius judicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius conjugis. » (Ibid. § 2.)

c. « Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus ejus matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri potest, consulat Ordinarium. » (Can. 1066.) Memores sint parochi et confessarii obligationis suae deterrendi pro posse fideles a matrimonio cum apostatis et societatum damnatarum asseclis contrahendo, quod saepe saepius lacrymabiles exitus habet.

§ 2. Votum simplex.

91. — I. **Quaenam vota impediant matrimonium.**

« Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum. » (Can. 1058 § 1.)

92. — II. **An et qualiter peccet matrimonium contrahens, illis votis ligatus.**

a) Qui votum *non nubendi* emisit, graviter peccat matrimonium contrahendo, quia laedit votum in materia gravi. Matrimonio autem contracto, potest se gerere ut caeteri conjuges.

b) Qui emisit *votum virginitatis*, graviter peccat matrimonium contrahendo, nisi certus sit ex promissione vel voto alterius partis, se posse virginitatem servare in matrimonio. Graviter enim se exponit periculo voti violandi. Semel autem amissa virginitate ad nihil jam tenetur.

c) Qui emisit votum *castitatis perfectae*, graviter peccat matrimonium contrahendo, nisi, ut in casu praecedenti dictum est, plenam habeat assecurationem de castitate perfecta in matrimonio servanda. Matrimonio junctus potest et debet reddere debitum, non autem petere, nisi ad hoc dispensetur ab Episcopo vel confessario regulari.

d) Ligatus voto *ingrediendi religionem* vel *sacros suscipiendi ordines* graviter peccat matrimonium contrahendo, quia facit sibi impossibilem voti adimpletionem. Rigorose loquendo petere teneretur a conjuge licentiam ingrediendi religionem vel ordines sacros suscipiendi. Sed altera pars nullatenus consentire tenetur. Potest reddere et petere debitum, quia castitatem non vovit. Dissoluto matrimonio, vel perpetuo divortio pronuntiato, votum reviviscit.

93. — III. **Dispensatio ab hujusmodi impedimento.**

a) Votum perfectae et perpetuae castitatis aut votum ingrediendi *ordinem* regularem presse dictum i. e. cum votis solemnibus, modo vota illa fuerint emissa absolute sine apposita conditione et post completum 18um aetatis annum, requirunt dispensationem S. Sedis.

b) Idem valet de voto in religione emisso, etiamsi sit

temporaneum, nisi alio modo juxta canones votum cessaverit.

c) Pro caeteris votis sufficit dispensatio Episcopi vel confessarii regularis ex justa causa concessa.

§ 3. Cognatio legalis.

94. — I. **Notio.**

Est propinquitas personarum ex adoptione proveniens.

95. — II. **Quandonam sit impedimentum mere prohibens.**

Id dependet a lege civili uniuscujusque nationis, quae ea in re canonizatur ab Ecclesia.

« In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, jure quoque canonico matrimonium illicitum est. » (Can. 1059.)

a) In *Belgio, Gallia, Luxemburgo et Romania* lex civilis statuit impedimentum mere prohibens et quidem vigens:

1. inter adoptantem et adoptatum ejusque descendentes.
2. inter diversos filios adoptivos ejusdem adoptantis.
3. inter adoptatum et filios quos *postea* habuerit adoptans.
4. inter adoptatum et uxorem adoptantis, inter adoptantem et uxorem adoptati.

Impedimentum est *perpetuum* quoad *paternitatem* et *affinitatem* legalem i. e. quoad personas sub nn. 1 et 4 indicatas.

Est temporaneum quoad *fraternitatem* legalem, i. e. quoad personas sub nn. 2 et 3 recensitas. Cessat enim impedimentum statim ac filius adoptatus aut filii naturales emancipantur.

b) In *Germania* viget solum inter adoptatum et adoptantem ejusque descendentes sive naturales etiam illegitimos sive adoptivos.

Cessat cum ipsa adoptione.

c) In *Hungaria* viget:

1. inter adoptantem et adoptatum.
2. inter adoptantem et uxorem adoptati, inter adoptatum et uxorem adoptantis.

3. inter filios naturales etiam illegitimos adoptantis et adoptatum atque uxorem ejusdem.
4. inter filios naturales adoptati et uxorem adoptantis.
Soluta adoptione, cessat impedimentum.
d) In *Helvetia* viget :
1. inter adoptantem et adoptatum.
2. inter adoptantem et uxorem adoptati, inter adoptatum et uxorem adoptantis.
e) In *Venezuela* viget :
1. inter adoptantem et adoptatum ejusque descendentes.
2. inter diversos filios adoptivos ejusdem adoptantis.
3. inter adoptatum et filios supervenientes adoptantis.
4. inter adoptantem et conjugem adoptati, inter adoptatum et conjugem adoptantis.
Soluta adoptione, impedimentum evanescit (2).

N. B. In caeteris regionibus, praeter indicatas hic et nº 173 b, nullo modo viget impedimentum cognationis legalis.

---

(2) CAPELLO, *op. cit.*, n. 324.

CAPUT V

De Impedimentis dirimentibus

96. — I. **Quaenam sint.**

a) Tredecim in iure Codicis numerantur impedimenta proprie dicta, quae scilicet veras inhabilitates constituunt ad matrimonium valide ineundum, et sunt : aetas, impotentia, ligamen, disparitas cultus, ordo sacer, votum solemne, raptus, crimen, consanguinitas, affinitas, publica honestas, spiritualis cognatio, cognatio legalis.

b) Error, conditio, metus, clandestinitas quae olim inter impedimenta recensebantur, in jure novo ut vitia seu defectus, quae opponuntur consensui seu formae merito considerantur.

97. — II. **Divisio.**

a) Codex juris canonici distinctionem induxit inter impedimenta gradus majoris et impedimenta gradus minoris. Practice illa dictinctio ad sola impedimenta dirimentia se refert.

b) Impedimenta *minora* sunt : Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis, affinitas in secundo gradu lineae collateralis, publica honestas in secundo gradu, cognatio spiritualis, crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii.

Impedimenta *majora* alia sunt omnia. (Can. 1042.)

c) Utilitas practica hujus distinctionis in hoc jacet quod « dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi causa finalis in precibus exposita falsa fuerit. » (Can. 1054.)

Art. I

AETAS

98. — I. **Notio hujus impedimenti.**

« Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium inire non possunt. » (Can. 1067, § 1.)

Nota : a) annos debere omnino completos esse, ita ut, una etiam die deficiente, matrimonium sit invalidum.

b) diem nativitatis non computari, sic ut qui natus est die 19a julii nonnisi die 20a julii annum decimum quartum aetatis complevisse censeatur.

99. — II. **Natura hujus impedimenti.**

a) Ex solo jure ecclesiastico vim habet. Jure enim naturali nulla determinata requiritur aetas, modo adsit usus rationis qui sufficiat ad verum consensum matrimonialem praestandum.

b) Ante codicem assignabatur aetas pubertatis legalis, i. e. duodecim annorum completorum pro foeminis et quatuordecim item completorum pro maribus.

c) Praeterea in jure praecedenti aetatis impedimentum non erat absolutum. Si enim conjunctim aderant ante illam aetatem tum sufficiens cognitio matrimonialis contractus, tum potentia ad copulam perficiendam, permittebatur matrimonium. Sed opus erat sententia declaratoria Romani Pontificis vel Episcopi de duplici facto, cognitionis scilicet et physicae potentiae. Et in hoc sensu audiebat conditio illud impedimentum afficiens : « Nisi malitia suppleat aetatem ».

100. — III. **Impedimenti cessatio.**

a) Lapsu temporis, adepta scilicet aetate canonica, cessat quoad matrimonium *contrahendum*.

b) Si vero de matrimonio jam *contracto* et ex hoc capite invalido, agatur, requiritur renovatio consensus postquam aetas debita completa est et post cognitam matrimonii nullitatem, idque in facie Ecclesiae, si nullitas est publica.

c) Papa potest quidem dispensare, supposita sufficienti discretione in contrahentibus. Sed rarissime dispensat, et numquam extra periculum mortis dispensatur sine causa publica.

d) Dispensatione concessa et celebrato matrimonio, interdicitur cohabitatio conjugum usque ad pubertatem, propter periculum laedendi castitatem.

101. — IV. **Ecclesiae votum.**

« Licet matrimonium post aetatem canonicam contractum validum sit, curare tamen debent animarum pastores ab eo avertere juvenes ante aetatem qua secundum regionis receptos mores matrimonium iniri solet. » (Can. 1067, § 2).

Art. II

IMPOTENTIA

102. — I. **Notio.**

Optima videtur definitio data a S. Raymundo de Pennaforte, O. P. (1).

Impotentia est « impossibilitas *coëundi*, seu vitium animi vel corporis vel utriusque, quo quis impeditur alii (naturali modo) carnaliter commisceri. »

a) Dicitur impossibilitas *coëundi*, non impossibilitas generandi.

Perfectus coitus habetur cum membrum virile penetrat vaginam mulieris et intra vaginam verum semen effundit. Quotiescumque coitus perfici potest, vera potentia agnosci debet.

b) Dicitur vitium animi vel corporis vel utriusque.

Ita indicantur diversae causae spirituales vel corporales ex quibus oriri potest impotentia. Inter causas spirituales

(1) *Summa*, l. 4. *De impotentia coëundi*, § 2, apud PRÜMMER, *op. cit.*, n. 808.

frequenter occurrit odium vel aversio erga conjugem. Veteres longe lateque scripserunt de maleficio ut causa impotentiae. Sed moderni sentiunt diabolicam causam impotentiae rarissime et difficulter admittendam esse. Raro spirituales causae perpetuam producunt impotentiam.

II. **Quinam in concreto sint impotentes** (2).

103. — *Vir* est impotens :

1. carens virga seu membro virili.
2. carens *utroque* testiculo.
3. perpetua atrophia utriusque testiculi affectus.
4. defectu virgae laborans, qui impossibilem reddat effusionem seminis in vaginam, i. e. quando meatus non in extremitate virgae, sed in medio ejus aperitur sive in parte inferiori (hypospadia), sive in parte superiori (epispadia).
5. habens virgam nimis magnam vel nimis parvam (saepe impotentia relativa tantum, aliquando absoluta).
6. cujus virga erigi non valet ad copulam perficiendam, (anaphrodisia).
7. qui laborat excessiva excitatione venerea, qua fit ut semen ante copulam semper effundat (aphrodisia).

Raro duo posteriores defectus constituunt impotentiam absolutam et perpetuam.

104. — b) *Mulier* est impotens :

1. carens vagina.
2. cujus vagina est omnino occlusa, ita ut nullatenus perforari valeat.
3. cujus vagina est nimis arcta absolute vel relative.
4. vaginismo laborans, quo ex excessiva excitatione vulva occluditur, copulam impediens.

In duobus prioribus casibus impotentia est absoluta, in tertio et quarto absoluta vel relativa.

105. — c) *Quid de viro qui vasectomiam passus est?*

1. *Vasectomia* pro viro est resecatio canalis deferentis semen testiculis elaboratum ad vesiculas seminales, qua fit ut ejaculatio seminis sit omnino imposibilis.

Qui hanc operationem subiit membrum erigere, mulie-

(2) CAPELLO, *op. cit.*, nn. 348, 350, 375.

bre vas penetrare et in eo humorem quemdam aquosum a prostata secretum effundere valet, sed verum semen nequit emittere.

2. Omnes fere auctores admittunt veram impotentiam viri vasectomiam passi, quia ad perfectum coitum requiritur effusio *veri seminis*.

Sed utrum talis impotentia sit perpetua an temporanea, non consentiunt. Tota quaestio in eo sita est : an communicatio abrupta cum vesiculis seminalibus redintegrari valeat. Quidam affirmant et quidem negant.

106. — d) Mulier carens utero vel ovariis vel utroque organo non est impotens, sed solum sterilis.

Ratio est obvia : Nihil enim deest tali mulieri ad copulam conjugalem perficiendam.

Et roboratur haec sententia pluribus responsis S. S. C. C. S. Officii et de disciplina Sacramentorum, quae declarant matrimonium hujusmodi mulieri non esse interdicendum (3).

A fortiori idem tenendum est de muliere quae operationem similem vasectomiae passa est.

107. — III. **Divisio.**

a) Impotentia est *antecedens, vel consequens,* prout praeexistit vel supervenit matrimonii celebrationi.

b) Est *perpetua* quae nullo modo humano vel solis mediis illicitis seu graviter periculosis tolli potest, vel *temporanea* si medio humano, licito et non graviter periculoso cessare potest.

c) Est *naturalis vel accidentalis,* prout ex corporis vitiosa conformatione vel ex causa extrinseca oritur v. g. operatione chirurgica, laesione, morbo.

d) Est *absoluta,* i. e. existens quoad omnem personam, vel *relativa,* quae ad determinatam personam restringitur.

e) Est *organica,* quae ex vitio organorum physico, vel *functionalis,* quae ex vitio mere physiologico oritur.

f) *Est certa* vel *dubia.*

---

(3) S. Off. 3 febr. 1887; 23 jul. 1890; 31 jul. 1895; S. C. de Sacram. 12 apr. 1909.

108. — IV. **Quandonam impotentia matrimonium dirimat.**

« Impotentia *antecedens* et *perpetua* sive ex parte viri, sivi ex parte mulieris, sive alteri cognita sit sive non, sive absoluta sive relativa, est impedimentum dirimens matrimonium ex ipso jure naturae. » (Can. 1068, § 1.)

Ratio est in promptu : Nemo potest valide contractum inire de re impossibili. Jamvero impotens non valet copulam perficere. Non potest ergo valide tradere jus ad illam.

109. — V. **Impotentia dubia ante matrimonium.**

a) Qui positive dubitat an sit potens, non potest matrimonium contrahere, antequam dubium diligenti investigatione pro posse resolverit. Secus et invalidum matrimonium contrahendi et compartem graviter decipiendi periculo se exponit.

b) Perdurante dubio post diligentem investigationem, potest licite matrimonium inire, dummodo compartem de dubio moneat.

« Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio juris, sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. » (Can. 1068, § 2.)

Praevalet enim jus naturaliter cuicumque competens matrimonium contrahendi, usquedum impedimentum non appareat certum.

110. — VI. **Impotentia dubia post matrimonium cognita.**

a) Manente spe aliqua coitum perficiendi, possunt conjuges copulam tentare, licet semen extra vas praeter intentionem effundatur.

b) Tenentur conjuges apta remedia adhibere. Possunt etiam petere ad cautelam, etiam altero dissentiente, dispensationem super rato non consummato, modo inconsummatio probari possit.

c) Si remedia incassum adhibita fuerint, et sit incontinentiae aut scandali periculum, separentur conjuges.

111. — VII. **Impotentia certa post matrimonium detecta.**

a) 1. Si impotentia sit simul *antecedens et perpetua*, nullum omnino est matrimonium, et ideo statim separan-

di sunt putativi conjuges quoad thorum, vel etiam quoad cohabitationem, secluso scandalo.

Quodsi adsit grave periculum peccandi, separatio etiam quoad cohabitationem necessaria est.

Si vero adsit scandalum, separatio a cohabitatione requirit interventionem auctoritatis ecclesiasticae.

Ad judicem ecclesiasticum pertinet sententiam nullitatis ferre post probationem impedimenti et tunc potest pars immunis ab impotentia novum conjugium inire.

Si grave periculum absit incontinentiae et scandali, et separatio sit moraliter impossibilis, possunt putativi conjuges ut frater et soror cohabitare.

2. Putativis conjugibus nihil licet quod solutis non liceat.

b) 1. Si impotentia sit *antecedens* sed *temporanea*, matrimonium valet et conjuges non sunt separandi.

2. Quoad usum vero matrimonii :

1) si spes aliqua adest actum conjugalem perficiendi, illum tentare possunt.

2) si spes non adsit, abstinere debent ab actibus quae proximum periculum pollutionis in altero conjugum generant.

3) etiam in casu quo coitus perfectio impossibilis sit vel mulieri graviter damnosus, non licet viro semen ad ostium vaginae effundere, quidquid unus vel alter dixerit.

c) Si impotentia sit *consequens*, licet *perpetua*, matrimonium omnino firmum manet. Quoad ejus usum eadem valent quae mox diximus sub b).

112. — IX. **Monitum practicum.**

Saepe expedit ut parochus vel confessarius in bona fide relinquat, quos invalide junctos ex capite impotentiae reperit. Nam pejora mala saepius ex monitione profluunt. Secus est, si ipsi putativi conjuges sciant matrimonium esse nullum.

Art. III

LIGAMEN

113. — I. **Notio.**

« Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei. » (Can. 1069, § 1.)

Est corollarium eorum quae diximus circa duas proprietates matrimonii, unitatem scilicet et indissolubilitatem, cap. I, art. II, §§ 1 et 2.

114. — II. **Natura impedimenti.**

Hoc impedimentum est juris divini et proinde omnino indispensabile. Memor esto tamen de exceptionibus supra explicatis quoad matrimonii rati tantum et matrimonii in infidelitate contracti non perfectam indissolubilitatem, nn. 11-14.

115. — **De probando statu libero.**

a) Ut novum matrimonium liceat contrahere, requiritur certitudo moralis de solutione vel nullitate prioris conjugii. (Cfr. Can. 1069, § 2.)

b) In dubio etiam levi oportet obtineatur authentica declaratio Ordinarii vel S. Sedis de conjugis morte vel de matrimonii prioris invaliditate.

c) Permissio ad alias nuptias transeundi includit dispensationem ab impedimento criminis ob solum adulterium cum matrimonii permissione, si hujusmodi licentia a S. Sede emanat, non autem si ab Ordinario.

116. — IV. **Poenae in violatores hujus impedimenti.**

Mala fide novum attentans matrimonium, priore matrimonio non soluto, has incurrit poenas :

a) Infamiam ipso facto. (can. 2356.)

b) Irregularitatem ex delicto. (can. 985, 3°.)

c) Privationem sacramentorum et, si moriatur absque paenitentiae signis, sepulturae ecclesiasticae, utpote publicus peccator.

d) Excommunicationem vel personale interdictum contra ipsum ab Ordinario ferenda si, spreta ejus monitione, in illicito contubernio persistant. (Can. 2356.)

Art. IV

DISPARITAS CULTUS

117. — I. **Notio.**
Disparitas cultus est diversitas religionis quae existit inter duas personas quarum altera valide baptismum suscepit, altera non.

118. — II. **Impedimenti extensio.**
« Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem ex haeresi aut schismate conversa. » (Can. 1070, § 1.)
a) Ante Codicem omnes *baptizati,* etiam acatholici, illi impedimento subditi erant.
b) Nunc vero impedimentum afficit solum *directe* in Ecclesia catholica baptizatos vel ad eamdem ex haeresi vel schismate conversos; *indirecte* non baptizatos qui cum talibus contrahere intendunt.

119. — III. **Quinam in Ecclesia catholica baptizati censeantur.**
a) *Certo* qui propria, si in aetate adulta, vel parentum seu tutorum voluntate, si infantes, eo fine baptizati sunt, ut communioni Ecclesiae catholicae aggregarentur. Sufficit ut illa intentio sit tacita.
b) *Probabilius* infantes qui, in mortis periculo constituti, a catholica persona,. etiam insciis parentibus, baptizati sunt.
Imo qui contra praescriptum cc. 750-751 a catholico sunt baptizati.
c) Si tamen praedicti pueri ex acatholicis nati (b) ab infantia in haeresi vel schismate vel sine ulla religione educati sunt, non constat eos teneri impedimento, prae-

sertim si illegitime in Ecclesia catholica baptizati sint.

Practice, stante dubio juris, impedimento non ligantur.

120. — IV. **Quinam conversi.**

a) Illi qui propria sponte ad Ecclesiam catholicam redeunt.

b) Pueri qui usum rationis assecuti a parentibus vel tutoribus catholice educati sunt.

121. — V. **Baptismus dubius quoad matrimonium.**

a) *Si de celebrando agatur.*

Dubium debet pro posse excuti. Si post diligentem investigationem dubium maneat serium, si pars *catholica* est dubie baptizata, sub conditione rebaptizetur; si pars *acatholica,* quae converti velit, et ipsa rebaptizetur sub conditione; si vero converti nolit, non licet eam rebaptizare sub conditione, sed praestat dispensationem super cultus disparitate ad cautelam obtinere, una cum dispensatione mixtae religionis.

Monet Marc (4) talem dispensationem ad cautelam concedi posse ab Ordinario, cum de dubio facti agatur, juxta can. 15.

b) *Si de jam celebrato.*

In dubio semper praesumitur validum matrimonium. (Can. 1070, § 2.)

Sed bene nota illam praesumptionem cedere veritati.

Unde si persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad catholicam Ecclesiam conversa, matrimonium sine dispensatione ab impedimento disparis cultus contraxerit cum persona quae vere non est baptizata, matrimonium est reapse nullum.

122. — VI. **A quonam jure procedat istud impedimentum.**

Indubitanter est juris mere ecclesiastici.

123. — VII. **Impedimenti cessatio.**

a) Praeter conversionem et baptismum partis infidelis, cessat istud impedimentum per dispensationem Romani

(4) *Op. cit.*, nº 2039.

Pontificis per organum *S. Officii* concessam. Extra loca missionum rarissime habent locorum Ordinarii dispensandi facultatem.

1. In regionibus catholicis raro conceditur dispensatio, praesertim si agatur de matrimonio cum Judaeo.

2. Semper exigendae sunt cautiones, quae pro mixtis nuptiis requiruntur (can. 1071) (5).

Invalide dispensat delegatus, si cautiones non praestentur (6).

3. Quoad ritum adhibendum eaedem restrictiones vigent ac pro mixtis nuptiis. (Can. 1071) (7).

4. Probabilius dispensatio super cultus disparitate adhuc implicat, ut in jure anteriore (8), dispensationem ab omnibus impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut consanguinitas in secundo gradu lineae obliquae, etc. Nam « stylus Curiae, ad quem refertur praefata dispensatio, etiam jure novo attendendus est (can. 20) ubi desit *expressum* legis praescriptum sive generalis sive particularis » (9).

Contrariae opinioni potius favet Marc. (10).

b) Cessare impedimentum videtur etiam in casu verae necessitatis.

Rarus quidem erit hujusmodi casus, sed non omnino impossibilis. « Hinc si in aliqua regione infidelium ita pauci essent christiani, ut non possent inter se matrimonia contrahere, et propter distantiam locorum aliasve circumstantias non possent dispensationem petere super disparitate cultus, hoc impedimento christiani, saltem probabiliter, non tenerentur » (11).

---

(5) Cfr. supra nº 83.

(6) S. Off., 21 jun. 1912, *A. A. S.* 1912, p. 443.

(7) Cfr. supra nº 87.

(8) *Instr. S. Officii*, 16 sept. 1824 ad 2, Coll. De Pr. Fide, I, n. 784.

(9) Capello, *op. cit.*, nº 422. Ita etiam Vermeersch-Creusen, *op. cit.*, n. 346.

(10) *Op. cit.*, n. 2038, nota 1.

(11) Capello, *op. cit.*, n. 199.

Art. V

ORDO SACER

124. — I. **Notio impedimenti.**
« Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti. » (Can. 1072.)

125. — II. **Quosnam hoc impedimentum teneat.**
a) Omnis Ecclesiae *latinae* clericus, qui saltem subdiaconatus ordinem suscepit nec valide contrahere matrimonium, nec matrimonio ante susceptum ordinem contracto uti potest.
b) Excipitur : 1. cujus ordinatio invalida est.
2. Qui vi vel metu gravi coactus sacrum ordinem suscepit, nisi postea, metu remoto, ordinationem ratam habuerit expresse vel tacite.
3. Qui ante pubertatem ordinem suscepit, nisi post pubertatis annos libere ordinationem ratam habuerit.
4. Qui non satis instructus erat de obligatione servandae castitatis.

126. — III. **Qualitas hujus impedimenti.**
Absque ullo dubio est juris mere ecclesiastici.

127. — IV. **Qualis sit obligatio servandae castitatis pro clericis majoristis.**
Licet plures aliter sentiant, videtur tamen obligationem illam non ex sola lege ecclesiastica, sed *ex voto* subdiaconatui voluntate Ecclesiae annexo oriri. Et ideo clericus in majoribus ordinibus, interne peccans contra castitatem verum committit *sacrilegium*. In opposita autem sententia non explicatur quomodo laesio castitatis *interna* sit sacrilega.

128. — V. **Dispensatio.**
Sua potestate indubia dispensandi ab hoc impedimento S. Sedes *numquam* cum Episcopis, *rarissime* cum presbyteris, *rarius* cum diaconis et *raro* cum subdiacono utitur,

licet pro istis duobus ultimis ordinibus facilior sit praxis moderna.

129. — VI. **Poenae in transgressores.**

a) Excommunicatio latae sententiae et Sedi Apostolicae simpliciter reservata, tum pro clerico ipso, tum pro persona quacum attentat matrimonium etiam civiliter tantum contrahere. (Can. 2388, § 1.)

b) Si moniti, tempore ab Ordinario pro adjunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur. (ibid.)

c) Amissio ipso facto et sine ulla declaratione omnium officiorum ecclesiasticorum. (Can. 188, 5°.)

d) Irregularitas ex delicto. (Can. 985, 3°.)

130. — VII. **Disciplina Ecclesiae Orientalis.**

a) In ordinibus majoribus constitutus non valet matrimonium contrahere. Apud quasdam Ecclesias mos est tamen *subdiaconis* matrimonium permittere.

b) *Conjugatus* potest suscipere subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum et matrimonio uti, ut ante Ordinem susceptum.

c) In *Episcopum* assumi non valet conjugatus, nisi ex dispensatione, et cum obligatione castitatem perfectam servandi.

d) An matrimonium a clerico majorista Ecclesiae orientalis attentatum sit non solum illicitum, sed etiam ut in Ecclesia latina invalidum, huc usque non est ab Apostolica Sede definitum decreto omnes Orientales Ecclesias obligante.

Invalidum est : 1) pro Italo-Graecis et Rumenis quoad subdiaconum.

2) pro Maronitis quoad diaconum.

3) pro Ruthenis quoad presbyterum.

Pro caeteris Orientalibus communiter et probabilius tenent auctores, etiam schismaticis, paucis exceptis, matrimonium esse invalidum.

e) Non ex voto, sed ex sola lege ecclesiastica, ordo sacer a matrimonio contrahendo impedit (12).

---

(12) Cfr. CAPELLO, *op. cit.*, n. 436.

Art. VI

VOTUM SOLEMNE

131. — I. **Notio illius impedimenti.**

« Invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi. » (Can. 1073.)

Jam. Conc. Trid. (13) definierat exsistentiam hujus impedimenti. « Si quis dixerit... regulares, castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante... voto; et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum : A. S. »

132. — II. **Extensio impedimenti.**

Huic impedimento subduntur :

a) qui vota *solemnia* valide professi sunt. Vota solemnia ea sola sunt quae ab Ecclesia ut talia agnoscuntur. Secus sunt simplicia. Hujusmodi vota non existunt nisi in Ordinibus stricte acceptis.

b) Scholastici Societatis Jesu qui vota simplicia post biennium novitiatus emiserunt. Ita ex speciali statuto S. Sedis.

133. — III. **Natura impedimenti.**

a) Pro votis simplicibus Soc. Jesu, certissime ex solo jure ecclesiastico impedimentum vim habet.

b) Pro votis solemnibus olim acriter inter theologos et canonistas disputatum est an divino vel ecclesiastico jure matrimonium dirimant. At hodie plerique sentiunt impedimentum dirimens voti solemnis esse juris mere ecclesiastici, licet res adhuc dubia maneat, optimae notae theologis aliter opinantibus.

---

(13) Sess. *XXIV, De sac. Matr.*, can. 9. Denz-Bannwart, n. 979.

134. — IV. **Dispensatio.**

a) S. Sedes dispensationem concedit ex causa gravi et urgenti, etiam ex causa privata.

b) Scholastici Soc. Jesu a Praeposito Generali ex Societate dimissi, ipso facto ab illo impedimento liberi fiunt.

135. — V. **Poenae in violatores.**

Praeter poenas indicatas supra n. 129 a) et d), quae communes sunt regularibus solemniter professis et clericis majorum ordinum, incurrunt matrimonium attentantes poenam dimissionis ipso facto ex Ordine. (Can. 646, 3°.)

Si sint etiam in sacris Ordinibus constituti incurrunt praeterea omnes alias poenas n. 129 indicatas.

Art. VII

RAPTUS

136. — I. **Notio.**

Raptus ut est matrimonii impedimentum definitur : « Mulieris invitae abductio vel detentio, matrimonii cum ea ineundi causa. »

137. — II. **Exsistentia impedimenti.**

Istud impedimentum est juris ecclesiastici, ad tuendam matrimonii libertatem statutum.

« § 1. Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium.

§ 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet. » (Can. 1074.)

138. — III. **Quaenam conditiones necessariae sint ut adsit impedimentum.**

a) Requiritur *abductio* i. e. amotio a loco in quo mulier

est libera a potestate raptoris ad locum moraliter diversum, in quo est sub ejus potestate; vel *detentio* i. e. custodia personae in aliquo loco a quo exire impeditur et ubi est sub potestate eam detinentis.

b) Requiritur *vis* mulieri facta. Sed parum refert mulierem esse invitam quoad *abductionem* vel *detentionem*, vel solum quoad *matrimonium ineundum*.

c) Oportet ut *mulier* abducatur vel detineatur. Non curat jus de casu insolito raptus viri a muliere.

d) Oportet ut raptus *matrimonium* habeat ut finem. Si fiat ob alium finem, licet pessimum, non adest impedimentum.

139. — IV. **Impedimenti cessatio.**

a) Ipso facto cessat, muliere a raptore separata et in loco tuto et libero collocata et consentiente raptorem in virum habere. (Can. 1074, § 2.)

Attamen parochus matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, cujus erit judicare num revera raptus cessaverit et mulier libere in matrimonium consentiat.

b) Rarissime in hoc impedimento dispensat Ecclesia propter periculum consensus non liberi.

Sed non excluditur a facultate concessa per cc. 1043-1045. Tunc autem curandum ut mulier liberum consensum praestet.

Art. VIII

CRIMEN

140. — I. **Notio.**

a) Est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum inter personas quae egerunt *adulterium qualificatum* aut *conjugicidium* qualificatum.

b) Sub triplici forma impedimentum criminis valet inveniri:

1. *adulterium* cum *promissione* vel *attentatione* matrimonii.

2. *adulterium* cum *conjugicidio* ab alterutro tantum

adultero patrato.

3. *conjugicidium* solum sed communi consilio patratum.

141. — II. **Prima forma.**

a) « Valide contrahere nequeunt matrimonium :

1° Qui, *perdurante eodem legitimo matrimonio,* adulterium inter se *consummarunt,* et *fidem sibi mutuo* dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per actum civilem, *attentarunt.* » (Can. 1075.)

b) *Conditiones ut crimen sub prima forma exsistat impedimentum.*

1. *Ex parte adulterii.*

Oportet adulterium sit : *verum,* i. e. ut alter saltem complex sit valide matrimonio ligatus; *formale ex utraque parte,* i. e. uterque sciat unam saltem et quidem eamdem partem esse conjugatam. Si ergo utraque pars sit conjugata, sed neutra sciat complicem esse conjugatum, non adest impedimentum; *consummatum* i. e. ut vir vaginam mulieris penetret et in ea verum effundat semen.

Copula *praesumitur* in utroque foro perfecta.

2. *Ex parte promissionis.*

Oportet promissio matrimonii sit : *vera* et *seria,* i. e. non sufficit simplex propositum vel ficta seu jocosa promissio. Juxta communiorem et probabiliorem et in praxi tutam sententiam, quaelibet fictio etiam mere interna obstat quominus impedimentum adsit. Lex enim irritans est strictae interpretationis (Can. 19) et in dubio juris impedimentum est practice nullum (Can. 15) ; *libera,* i. e. non metu gravi vel dolo extorta vel errore substantiali vitiata; *absoluta* i. e. non sub conditione facta; de matrimonio *post mortem* conjugis ineundo, quin tamen necesse sit id expresse promissioni addere; *injuriosa matrimonio existenti* : talis non esset promissio facta ad instantiam conjugis morituri; *conjuncta cum adulterio in eodem matrimonio* : non adest impedimentum si ante adulterium sincere et externe revocata sit promissio; *exterius manifestata et mutuo acceptata.*

3. *Ex parte attentationis.*

Attentatio matrimonii est actus quo duo, conscii exsistentis impedimenti ligaminis, vere et serio sibi mutuo

praestant consensum conjugalem, licet invalide.

Parum refert quo pacto illa attentatio fiat.

142. — III. **Secunda forma.**

a) « Valide contrahere nequeunt matrimonium :

2° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, *adulterium* inter se consummarunt eorumque alter *conjugicidium* patravit. » (Can. 1075.)

b) *Conditiones necessariae ut impedimentum reapse exsistat.*

1. *Ex parte adulterii* : Eaedem conditiones ac supra pro prima forma n. 141 b) 1.

2. *Ex parte conjugicidii.*

Mors conjugis ab *alterutro* adulterorum oportet ut *machinetur*, et quidem ex intentione matrimonium contrahendi cum complice adulterii; ut reipsa *sequatur*, probabiliter saltem; ergo practice requiritur ut *adulterium praecedat* actum qui est causa mortis; conjux cui mors infertur *idem* sit necesse est qui tempore adulterii commissi vivebat.

Ait enim can. « perdurante *eodem* legitimo matrimonio. »

143. — IV. **Tertia forma.**

a) « Valide contrahere nequeunt matrimonium :

3° Qui *mutua opera* physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem conjugi intulerunt. » (Can. 1075.)

b) *Conditiones ad incurrendum impedimentum requisitae.*

1. *Veri* conjugis occisio.

2. Mors secuta ex *vera* et *mutua* utriusque complicis *cooperatione.*

3. *Intentio* matrimonii ineundi cum complice.

Practice haec intentio requiritur in *utroque* complice. Sane de hoc puncto auctores theoretice dissentiunt. Sed inde impedimentum fit dubium dubio juris, si intentio matrimonii in utroque parte non reperiatur, et ideo nullum.

Eadem ratione necesse est *practice* ut talis intentio sit alteri complici aliquo modo manifestata.

In foro externo *praesumitur* haec intentio.

144. — V. **Ratio impedimenti.**

Intentio Ecclesiae in illo impedimento stabiliendo fuit tum conjugali fidei et incolumitati conjugum consulere, tum poenam infligere ob gravissimum scelus commissum.

145. — VI. **Multiplicatio impedimenti.**

Multiplicatur impedimentum criminis :

a) si *delictis specie diversis* injuria irrogetur *uni eidem matrimonio.*

Si adulteri sibi promittunt matrimonium, deinde illud attentant, vivente conjuge, demum alter saltem conjugum occidet, triplex adest impedimentum.

b) Si *pluribus matrimoniis* injuria irrogetur.

Si enim ambo sunt conjugati, modo uterque id sciat, duplex adest impedimentum ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. Vel etiam si Petrus successive in matrimonium ducat Paulam et Caeciliam, et durante utroque matrimonio, cum Margarita adulterium committat cum promissione vel attentatione matrimonii, duplex impedimentum a complicibus contrahitur.

146. — VII. **Qualitas impedimenti.**

a) Est juris mere ecclesiastici.

b) Ergo *directe* non afficit nisi baptizatos, praeter casum in quo lex civilis simile impedimentum statuat.

c) *Indirecte* tamen, ratione scilicet partis fidelis, infidelis huic impedimento obnoxius esse potest. Id locum obtinet quando *pars fidelis* omnes conditiones necessarias adimplet ut ipsa impedimentum contrahat. Tunc enim fidelis suam inhabilitatem infideli communicat. Si vero in elemento essentiali criminis solus infidelis agat, impedimentum non adest.

147. — VIII. **Dispensatio.**

Sola dispensatione hoc impedimentum evacuatur.

a) *Si de publico conjugicidio* agatur, numquam, si de occulto, interdum ex gravissima causa conceditur dispensatio.

b) Facilior est dispensatio in prima forma impedimenti, quae caeteroquin ut impedimentum *minus* habetur in jure. (Can. 1042, § 2, 5°.).

c) In dispensatione super rato non consummato et in permissione a *Summo Pontifice*, non autem ab Ordinario, data transeundi ad alias nuptias ob mortem praesumptam conjugis, continetur implicite dispensatio super hoc impedimento in sua prima forma. (Can. 1053.)

d) Pius X, die 3 junii 1912 per Decretum S. C. de Sacr. revalidavit et sanavit omnia matrimonia usque ad illam diem celebrata et invalida propter adulterium cum *attentatione* matrimonii (14).

Art. IX

CONSANGUINITAS

148. — I. **Notio consanguinitatis.**

a) Est propinquitas personarum, quarum una ab altera, vel omnes ex communi stipite propinquo per carnalem generationem descendunt.

b) *Stipes* : persona ex qua aliae descendunt.

Linea : series personarum quarum una ab altera descendit, vel quae omnes ab uno stipite descendunt.

Linea *recta* : quae constituitur ex personis quarum una ab altera descendit.

Linea *transversa* seu *collateralis* : quae constituitur ex personis quae stipem communem habent, quin una ab altera descendat.

Gradus : distantia unius personae ab alia in eadem linea.

Linea aequalis : quando collaterales *pari gradu* a communi stipite distant.

Linea inaequalis : si *diverso gradu* collaterales distent a stipite communi.

c) *De modo gradus computandi.*

1. In linea *recta* tot sunt gradus quot personae lineam componentes, dempto stipite. (Can. 96, § 2.)

Sic nepos est consanguineus aviae in secundo gradu.

(14) *A. A. S.*, 1912, p. 403.

2. In linea *collaterali aequali* tot sunt gradus quot personae in *uno tractu* lineae, dempto stipite. (ibid., § 3.)

Sic frater et soror sunt in primo gradu, consobrini in secundo.

3. In linea *collaterali inaequali* tot sunt gradus quot personae in tractu lineae qui pertinet ad illum qui longius distat a communi stipite. (ibid.)

Sic avunculus cum sua nepte consanguineus est in secundo gradu.

149. — II. **Extensio impedimenti.**

a) « § 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos, tum naturales. »

b) « § 2. In linea collaterali irritum est usque ad *tertium gradum inclusive.* »

c) « Matrimonii impedimentum toties tantum multiplicatur quoties communis stipes multiplicatur. » (Can. 1076.)

Hujusmodi multiplicatio stipis communis triplici modo contingere potest :

1. Quando ascendentes communes jam sunt consanguinei.

Ex. gratia : Arnoldus duos habet filios Lucium et Paulum. Rursus Lucius genuit Petrum et Mariam et Paulus genuit Joannem. Joannes matrimonium contraxit cum Maria et ex illa genuit Angelam. Petrus genuit Andream. Inter Andream et Angelam duplex adest impedimentum consanguinitatis, alterum in secundo gradu, ex stipe communi Lucio, et alterum in tertio gradu ex stipe communi Arnoldo.



2. Quando viri inter se consanguinei prolem genuerunt ex mulieribus inter se consanguineis.

Ex. gratia : Albertus et Reginaldus fratres in matrimonium ducunt, alter Mariam, alter Aloysiam sorores. Ex priore matrimonio nascitur Ludovicus, ex altero Eugenia. Inter Ludovicum et Eugeniam exsistit duplex impedimentum in secundo gradu consanguinitatis, quia duplicem stipem communem habent, parentes scilicet tum patris tum matris suae.

3. Quando quis prolem habet ex personis consanguineis quas successive duxit.

V. G. Ambrosius in matrimonium duxit successive Martham et Leopoldinam sorores. Ex priore genuit Benedictum, ex altera Augustinum. Benedictus genuit Margaritam et Augustinus Leonem. Inter Leonem et Margaritam duplex adest impedimentum consanguinitatis, alterum in secundo gradu, alterum in tertio gradu, quia habent duplicem stipem communem, Ambrosium scil, eorum avum et Emmanuelem eorum proavum.



d) *Modus facilis detegendi consanguinitatem.*

Scribantur in foliis separatis supra nomina sponsorum nomina eorum ascendentium usque ad tertium gradum. Si nomina inveniantur utrique sponso communia, adest impedimentum. Secus non.

150. — III. **Jus ante Codicem vigens.**

Ante Codicem, i. e. ante diem 19 maii 1918 :

a) impedimentum in linea collaterali extendebatur usque ad *quartum* gradum inclusive.

b) Multiplicabatur impedimentum, etiam quando alteruter sponsorum *multiplici via* ad communem stipem ascendebat.

151. — IV. **Quonam jure consanguinitas matrimonium dirimat.**

a) In *linea recta* jure naturali certissime in primo gradu; et probabilius etiam in quocumque gradu etiam remotiore.

b) In *linea collaterali*, in *primo* gradu jure naturali juxta multos, licet alii contradicant.

In praxi « Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis. » (Can. 1076, § 3.)

c) In linea collaterali praeter primum gradum, nemo dubitat impedimentum esse juris mere ecclesiastici.

152. — V. **Quid de fratre et sorore qui infideles matrimonium inter se contraxerunt, si postea ad fidem convertantur?**

R. Consulatur S. Sedes.

153. — VI. **Dispensatio.**

a) In tertio gradu facile, minus facile in secundo gradu aequali, difficulter in secundo tangente primum dispensatur.

b) Valet dispensatio si in petitione vel concessione error circa gradum irrepserit, modo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticita fuerit multiplicitas impedimenti in aequali vel inferiore gradu. (Can. 1052.)

Art. X

AFFINITAS

154. — I. **Notio.**

a) *Affinitas*, in jure novo est propinquitas personarum quae « oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato » et quae « viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos. » (Can. 97, §§ 1 et 2.)

b) « Ita computatur ut qui sint consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris et vice versa. » (ibid., § 3.)

155. — II. **Extensio impedimenti.**

a) « Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in *quolibet gradu;* in linea collaterali usque ad *secundum gradum* inclusive. »

b) « Affinitatis impedimentum multiplicatur :

1° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit. »

Id est quotiescumque inter compartem et ejus consanguineos est multiplex communis stipes.

« 2° Iterato successive matrimonio cum consanguineis conjugis defuncti. » (C. 1077.)

156. — III. **Quonam jure affinitas sit impedimentum.**

a) Sine ullo dubio est juris mere ecclesiastici, etiam in primo gradu lineae rectae.

b) Id constat tum ex conceptu moderno affinitatis quae vinculum mere legale constituit, tum ex declarationibus S. S. C. C. jam sub jure anteriore emanatis et quae magis valent de affinitate ut nunc in jure statuitur.

c) Ergo tali impedimento non tenentur infideles inter se contrahentes, utpote a lege ecclesiastica immunes, nisi tamen lex civilis simile statuat impedimentum.

157. — IV. **Ex quonam matrimonio oriatur affinitas.**

a) Licet quidam contradicant, certum videtur ex matrimonio non-baptizatorum non oriri affinitatem. Id eruitur ex tenore ipsius legis. Nam « oritur ex matrimonio valido sive *rato* tantum sive *rato et consummato.* » (Can. 97, § 1.) Jamvero ipse Codex nomine matrimonii *rati* solum matrimonium baptizatorum designat. (Cfr. Can. 1015, § 1.)

b) Ex matrimonio partis fidelis cum infideli etiam cum dispensato impedimento disparitatis cultus celebrato, non oritur affinitas, cum, ut diximus supra n. 23 tale matrimonium non sit sacramentum.

Et, nonobstante plurium contraria opinione, haec sententia est in praxi omnino tuta, cum dubium juris faciat impedimentum nullum. (Can. 15.)

c) Si ex duobus conjugibus infidelibus unus tantum convertatur, non ideo oritur affinitas. Oritur autem ipso facto, utroque converso et baptizato, quia matrimonium eo ipso fit ratum et sacramentum.

158. — V. **Dispensatio.**

a) In primo gradu lineae rectae, matrimonio consummato, et cum consanguineis legitimis defuncti conjugis, nunquam Ecclesia dispensat.

b) In linea collaterali facile dispensatur. Et quoad affinitatem in secundo gradu, jus illud impedimentum inter minora recenset. (Can. 1053) Cfr. supra n. 97.

c) Valet dispensatio, si, in petitione vel concessione, error circa gradum irrepserit, modo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticita fuerit multiplicitas impedimenti in aequali vel inferiore gradu. (Can. 1052.)

VI. **Jus ante Codicem.**

159 — a) Pastori animarum et confessario cognitio prisci juris adhuc necessaria manet. Nam, licet impedimentum affinitatis quale ante Codicem vigens jus statuerat, jam sit omnino abolitum, ejus tamen vis aliquo modo perseverat quoad matrimonia ante diem 19 maii 1918 celebrata. Haec enim matrimonia, si cum impedimento dirimenti tum exsistente celebrata sint, sunt et manent invalida. Ad convalidandum tale matrimonium ex jure nunc suppresso invalidum, nulla quidem dispensatio, sed consensus renovatio ex parte saltem conjugis qui sit impedimenti conscius requiritur.

160. — b) *Notio affinitatis.*

1) Erat propinquitas personarum exorta ex *sola copula perfecta*, licita vel illicita, et vigens inter virum et consanguineos mulieris, et vice-versa inter mulierem et viri consanguineos.

2) Copula perfecta ea est qua vir mulieris vaginam penetrat et in ea verum semen effundit.

161. — c) *Extensio impedimenti.*

Matrimonium dirimebat in *quocumque* gradu *lineae rectae*. In linea collaterali, ad *quartum* gradum inclusive si ex licita; ad *secundum* inclusive, si ex illicita copula.

Copula habita in matrimonio putativo *certissime*, et *probabilius* etiam in unione quae speciem et figuram habebat matrimonii, copulae licitae aequiparabatur quoad generationem impedimenti.

Art. XI

PUBLICA HONESTAS

162. — I. **Notio in jure Codicis.**

a) Sicut de affinitate dictum est, notio hujus impedimenti totaliter diversa est in jure praecedenti et in jure novo.

Publica honestas nunc « oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico et notorio concubinatu; et nuptias dirimit in *primo* et *secundo* gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa. » (Can. 1078.)

b) Duplex causa nata est producere impedimentum :

1. Matrimónium *invalidum*, ex quocumque defectu, etiam consensus, si tamen excipias *civile* matrimonium, pro iis quos tenet nullitas matrimonii clandestini (15).

2. *Publicus* vel *notorius* concubinatus.

Concubinatus est commercium carnale et habituale inter virum et mulierem nulla specie vinculi matrimonialis tectum.

Publicus est concubinatus, si jam divulgatus est aut talibus versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri. (Can. 2197, 1°.)

Notorius sive notorietate *juris*, quae locum habet post sententiam judicis quae in rem judicatam transierit aut confessionem delinquentis; sive notorietate *facti*, quando scilicet delictum publice est notum nec ulla tergiversatione celari potest. (ibid. 2° et 3°.)

---

(15) Cfr. resp. PONT. COMMIS. AD. COD. CAN. AUTH. INTERPR., 12 martii 1929, II, A. A. S., v. XXI, p. 170.

163. — II. **Multiplicitas impedimenti.**

Videtur multiplicari impedimentum, si alterutra pars invalidum matrimonium vel publicum concubinatum inierit successive cum duobus vel pluribus consanguineis, in primo vel secundo gradu lineae rectae, compartis.

Sed, cum de tali multiplicitate Codex sileat et auctores in diversas abeant sententias, fit illa multiplicatio dubia dubio juris et ideo practice non attendenda. (Can. 15.)

164. — III. **Quonam a jure impedimentum illud procedat et quosnam teneat.**

a) Ex jure mere ecclesiastico.

b) Obligat omnes et solos baptizatos, etiam acatholicos.

c) Disputant auctores an sponsi qui ante baptismum vixerant in matrimonio invalido vel publico concubinatu, post conversionem incurrant impedimentum publicae honestatis.

1. Si illud vinculum post baptismum perseveret, impedimentum certissime incurrunt.

2. Si secus, videntur non teneri illo impedimento.

165. — IV. **Dispensatio.**

a) Dispensatio est unicus modus quo impedimentum possit cessare.

b) In secundo gradu reputatur impedimentum minus. (Can. 1042.)

166. — V. **Jus ante Codicem.**

a) *Notio.*

Publica honestas erat propinquitas personarum orta ex validis sponsalibus vel ex matrimonio rato non-consummato, et vigens inter virum et consanguineos mulieris et vice versa inter mulierem et consanguineos viri in gradibus a lege determinatis.

b) Duplex igitur causa nata erat impedimentum producere :

1° *Sponsalia valida, absoluta vel saltem quorum conditio purgata erat, et certa.*

Talia sponsalia impedimentum faciebant ad *primum* gradum in utraque linea.

Adverte jam a die 19 aprilis 1908 sola sponsalia in scriptis redacta et rite subsignata ad normam Decreti « Ne temere » valida esse.

2° *Matrimonium ratum et non consummatum*, sive validum, sive invalidum, absolute celebratum, modo invaliditas non esset ex defectu consensus.

Et illa causa producebat impedimentum ad *quartum* gradum inclusive in utraque linea.

Art. XII

COGNATIO SPIRITUALIS

167. — I. **Notio.**

Est propinquitas personarum exorta ex susceptione baptismi vel confirmationis.

168. — II. **Ambitus impedimenti.**

a) In jure novo sola cognatio spiritualis ex baptismo suscepto orta impedimentum constituit matrimonii.

b) Adest illud impedimentum inter baptizantem et baptizatum, et inter patrinum et baptizatum. (Can. 1079-Can. 768.)

169. — III. **Conditiones ad producendum impedimentum requisitae.**

a) *Ex parte baptismi* : sit validus oportet. Sed etiam ex baptismo privato gignitur impedimentum, cum lex non distinguat.

b) *ex parte ministri* : ipse sit baptizatus oportet.

c) *ex parte patrini* (vel matrinae) : requiritur ut omnes conditiones adimpleat quas exigit can. 765 ad illud munus valide subeundum.

170. — IV. **Quonam jure illud impedimentum exsistat.**

a) Est juris mere ecclesiastici.

b) Proinde a solis baptizatis contrahitur.

171. — V. **Multiplicatio impedimenti.**
Nunquam multiplicatur, nisi minister sit simul per seipsum vel per procuratorem patrinus.

172. — VI. **Dispensatio.**
Est unicum medium illud impedimentum tollendi, quod est gradus minoris. (c. 1042) (16).

173. — VII. **Jus ante Codicem.**
a) Non baptismus tantum sed etiam confirmatio generabat impedimentum dirimens.
b) Vigebat impedimentum :
1. Inter ministrum et subjectum sacramenti.
2. Inter patrinum (vel matrinam) et subjectum.
3. Inter patrinum (vel matrinam) et parentes subjecti.
4. Inter ministrum et parentes subjecti.

Art. XIII

COGNATIO LEGALIS

174. — I. **Notio.**
Est propinquitas personarum ex adoptione proveniens.

175. — II. **Quandonam sit impedimentum dirimens.**
a) Id dependet a lege civili uniuscujusque nationis quam in ea materia Ecclesia canonizat seu suam facit.
« Qui lege civili *inhabiles* ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt *vi juris canonici* matrimonium inter se contrahere. » (Can. 1080.)
b) Viget lex civilis adoptionem habens ut dirimens impedimentum in sequentibus statibus : Italia, Hispania, Polonia, Croatia, Slavonia, Russia, Monaco, Guatemala, Bolivia, Brazilia, Columbia, Peru et forsan Graecia (17).

(16) Cfr. supra n. 97.
(17) Cfr. CAPELLO, *op. cit.*, n. 570.

c) Ex diversis legibus in diversis nationibus vigentibus eruendum est quosnam inter impedimentum adsit.

176. — III. **Cessatio impedimenti.**

a) Cessat abrogatione legis civilis illud promulgantis.

b) Vel dispensatione non a principe civili, sed ab Ecclesia concessa.

CAPUT VI

De Dispensatione ab Impedimentis Matrimonii

Art. I

DE DISPENSATIONE MATRIMONIALI IN GENERE

177. — I. **Notio.**

Dispensatio, prout respicit matrimonii impedimenta, definiri potest : Relaxatio impedimenti ecclesiastici irritantis vel prohibentis matrimonium, in casu particulari, a legislatore aut ab ejus delegato facta.

178. — II. **Divisio.**

Multipliciter distinguitur dispensatio ab impedimentis matrimonii :

a) Pro foro *externo*, quae conceditur pro impedimento publico.

Pro foro *interno*, quae pro occulto impedimento.

Rursus subdividitur dispensatio pro interno foro : pro foro *sacramentali* et foro *non-sacramentali*, prout intra vel extra administrationem sacramenti poenitentiae datur.

Dispensatio data in foro externo valet etiam pro foro interno.

In foro interno data valet solum in conscientia.

Si postea publicum evadat impedimentum, nisi dispensatio data sit tantum in foro *sacramentali* vel nisi aliud ferat S. Paenitentiariae rescriptum, nova dispensatio in foro externo non est necessaria. (Can. 1047.)

b) Dispensatio ad *contrahendum* matrimonium, et contracti jam matrimonii *convalidatio.*

c) Dispensatio *pontificia* quae datur a Romano Pontifice immediate vel per organum S. S. C. C.; et *non-pontificia,* quae datur ab aliis.

d) In forma *gratiosa,* quae immediate ipsi oratori conceditur et ad ipsum dirigitur;

In forma *commissoria* : quae tertiae personae committitur exsequenda.

Art. II

DE AUCTORITATE DISPENSANDI

179. — Cum ad solum Romanum Pontificem pertineat impedimenta matrimonio constituere sive prohibentia tantum, sive dirimentia, ipse solus etiam jure proprio et nativo dispensat, utpote in sua lege.

Sed reipsa sive juris communis dispositione, sive indultis specialibus, Summus Pontifex aliis partem suae dispensatoriae potestatis elargitur, et ideo nunc nobis agendum de competentia diversorum ad concedendas dispensationes ab impedimentis matrimonialibus.

§ 1. De Potestate Romani Pontificis.

180. — I. **Ambitus ejus potestatis.**

a) Ad omnia juris ecclesiastici impedimenta extenditur ejus potestas dispensandi. Supremus enim legislator Ecclesiae eo ipso dispensare valet in quacumque Ecclesiae lege.

b) Neque Papa, neque ullus homo dispensare potest ab impedimentis juris divini *absoluti,* sive naturalis sive positivi.

c) Si vero impedimentum oriatur ex obligatione libere suscepta, quae non sit ex jure divino omnino insolubilis, potest Papa, ut vicarius Christi, illud auferre. Et sic agendo *non proprie* dispensat in jure divino, sed tantum *improprie,* mutando scilicet obligationis materiam.

Ita dispensat ab impedimento voti et a ligamine, quando agitur de matrimonio rato tantum.

d) Ad ipsum solum pertinet declaratio juris divini dubii.

181. — II. **Exercitium illius potestatis.**

a) Numquam Romanus Pontifex dispensat in impedimentis, de quibus controvertitur an sint juris naturae vel juris positivi divini, v. g. in impedimento consanguinitatis in omni gradu lineae rectae et in primo lineae collateralis.

b) Etiam quoad impedimenta mere ecclesiastica, non utitur in praxi tota sua dispensandi facultate.

1. *Numquam* in impedimento episcopatus et nonnisi in mortis periculo ab impedimento publico conjugicidii dispensat.

2. *Rarissime* et ex *gravissima causa* tantum in primo gradu affinitatis lineae rectae post consummatum matrimonium, in raptu et presbyteratu dispensationem concedit.

3) *Raro* et ex *gravi causa* dispensat in conjugicidio occulto, in dispari cultu extra regiones missionum, in aetate, sacro ordine et professione solemni.

4) *Frequentius* et ob causas *minus graves* in caeteris juris ecclesiastici impedimentis (1).

182. — III. **Competentia S.S. Congregationum.**

Fere semper organo S. S. Congr. Romanus Pontifex utitur ad dispensandum in re matrimoniali.

a) *S. Officium* dispensat quoscumque fideles ab impedimentis quae cum fide specialem connexionem habent i. e. ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis.

b) *S. Congr. de Religiosis* dispensat religiosos a voto castitatis.

c) *S. Congr. de discipl. Sacram.* omnes caeteras dispensationes concedit pro foro externo, modo non agatur de Orientalibus.

d) *S. Congr. pro Eccl. Orient.* competens est ad omnia

(1) Cfr. CAPELLO, *op. cit.*, n. 224.

impedimenta, iis exceptis quae ad S. Officium pertinent, quotiescumque una saltem pars est ritus orientalis.

e) *S. Paenitentiaria* ad omnia omnino impedimenta jurisdictionem suam extensam habet, sed solum *pro foro interno*.

1. Ad forum internum pertinet impedimentum *natura et facto occultum*.

2. Probabiliter tamen est competens s. Poenitentiaria etiam quoad quaedam impedimenta non omnino occulta de facto, vel natura quidem publica, sed facto occulta. Adiri ergo potest S. Poenitentiaria usquedum S. Sedes non aliter declaraverit :

1) Si, quoad matrimonium contrahendum, impedimentum voti, criminis et consanguinitatis ex copula illicita, paucis omninoque discretisque personis cognoscitur (quod in petitione declarandum est).

2) Quando de matrimonio *contracto* agitur, pro occulta *cognatione spirituali* et *consanguinitate* etiam in secundo gradu, « si saltem per decennium duraverit occultum et oratores simul publice contraxerint et convixerint et uti conjuges legitimi habiti fuerint. »

Talis enim potestas ante Codicem S. Poenitentiariae competebat nec certum est eam esse revocatam (2).

§ 2. De Potestate Ordinarii Loci.

183. — Ordinarius loci (3), praesertim in circumstantiis urgentibus, ampla gaudet potestate ordinaria ipsi a jure tributa. Praeterea fere semper habet speciales facultates sibi a S. Sede delegatas.

184. — I. **Potestas Ordinarii loci in ordinario rerum cursu.**

Dispensare potest : a) in bannis; b) in dubio facti, modo agatur de impedimentis in quibus papa solet dispensare; c) in votis non reservatis.

---

(2) Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, n. 304, 4. — CAPELLO, *op. cit.*, n. 227.

(3) Cfr. supra, n. 59, a.

II. Potestas dispensandi in circumstantiis extraordinariis.

185. a) *Urgente mortis periculo.*

« Locorum Ordinarii ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, dispensare *proprios subditos ubique* commorantes et *omnes in proprio territorio* actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus. » (Can. 1043.)

1. *Conditiones requisitae ut Ordinarius dispensare possit.*

1° *Mortis periculum,* grave, certum vel serio probabile, ex quacumque proveniat causa, alterutram partem afficiens.

2° Necessitas *consulendi conscientiae* aut *legitimationi prolis.*

Alterutra ex communi doctorum sententia necessitas sufficit.

Consulere conscientiae, i. e. tollere peccatum vel occasionem proximam peccati in quacumque materia.

Qualis proles possit legitimari?

R. Certo naturalis vel etiam incestuosa. Probabilius et communius censent non posse legitimari sacrilegam vel adulterinam.

3° Remotio scandali.

4° Pro impedimentis mixtae religionis vel disparitatis cultus praestatio *cautionum consuetarum.* An haec conditio sit ad validitatem dispensationis imposita non constat.

2. *Natura illius facultatis.*

Est *ordinaria,* et ideo delegabilis etiam habitualiter, (Can. 199, § 1) pro utroque foro valens (can. 202. § 3) et late interpretanda (can. 200, § 1.)

3. *Ambitus potestatis.*

1° Haec potestas est *amplissima.* Potest ab omnibus ecclesiastico jure statutis impedimentis, duobus tantum

exceptis, dispensare, et etiam ab assistentia parochi vel duorum testium, vel utrorumque, si necesse sit.

2° Erga *proprios subditos* ratione domicilii vel quasi domicilii *ubique*, et erga omnes in proprio territorio actu degentes, eam Ordinarius exercere valet.

3° Possibilitas ad S. Sedem recurrendi non tollit hanc Ordinarii facultatem.

186. — b) *In aliis casibus urgentibus.*

« § 1. Possunt Ordinarii locorum sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegitur, cum jam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

« § 2. Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii jam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem ». (can. 1045.)

1. *Conditiones requisitae ut haec facultas exerceri valeat.*

1° In utroque casu indicato § 1 et § 2, probabile periculum gravis mali, proprii vel alieni, spiritualis vel temporalis.

2° Si de matrimonio *contrahendo*, oportet ut omnia jam sint parata ad nuptias, ita ut nuptiae moraliter non possint differri.

3° Ut in mortis periculo, praecipitur ut scandalum removeatur et pro impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis consuetae praestentur cautiones.

2. *Natura hujus facultatis.*

Eadem est omnino ac ea quae Ordinario competit urgente mortis periculo. Cfr. supra n. 183, 2.

3. *Ambitus potestatis.*

Haec facultas est aeque ampla ac illa quae conceditur in periculo mortis, excepto quod facultas non conceditur nisi quando tempus non adest ad S. Sedem recurrendi, et quod non valet Ordinarius super forma consueta celebrandi matrimonii dispensare.

187. — III. **Potestas ex pontificio indulto.**
Videatur indulti tenor. Haec potestas est *delegata.*

§ 3. De Potestate Parochi vel Sacerdotis Matrimonio assistentis.

188. — I. **In mortis periculo.**
a) Eadem potestate ac Ordinarius pollet parochus, sed restricta ad casus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit. (Can. 1044.)
Quae diximus supra n. 185, 2 et 3 de natura et ambitu potestatis Ordinarii loci hic veniunt omnino applicanda parocho.
b) Eadem facultas fit sacerdoti qui, absente aut impedito parocho vel ejus delegato, ad normam can. 1098 matrimonio assistit. (Can. 1044.)
c) An eadem potestate gaudeat sacerdos legitime ab Ordinario vel parocho delegatus ut matrimonio assistat?
R. Silet quidem Codex, sed plures censent esse hic locum applicationi can. 200 § 1, cum in casu delegatus nequeat sine concessione dispensationis assistere. Concedendo delegationem parochus vel Ordinarius implicite delegare censetur suam dispensandi facultatem (4).

189. — II. **In aliis casibus urgentibus.**
a) Parochus eadem facultate gaudet qua Ordinarius, in rerum adjunctis supra explicatis n. 186, restricta tamen ad casus *occultos* et in quibus *ne loci quidem Ordinarius possit adiri*, vel nonnisi cum periculo violationis secreti. (Can. 1045, § 3.)
1. « *Casus occulti* » debet intelligi de quocumque impedimento de facto occulto, etiamsi natura sua publicum sit. Id nunc certum evasit ex responso Commissionis ad Canones Codicis authentice interpretandos, die 28 mensis dec. 1927 (5).
2. *Secretum* non hic restringitur ad sacramentale.
b) Similis facultas conceditur sacerdoti matrimonio assistenti ad normam can. 1098 2°, i. e. quando extra mortis periculum parochus vel Ordinarius vel sacerdos

(4) CAPELLO, *op. cit.*, n. 236.
(5) A. A. S. 1928, p. 61, III. De dispensationibus matrimonialibus.

delegatus sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat qui matrimonium assistat, et prudenter praevidetur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam. (Can. 1098.)

c) Quae de sacerdote ad assistendum delegato in periculo mortis diximus supra n. 188, c, hic etiam valent.

190. — III. Parochus aut sacerdos assistens matrimonio de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum. (Can. 1046.)

§ 4. De Potestate Confessarii.

191. — I. **In mortis periculo.**

Eadem ac parochus potestate gaudet, sed pro foro *interno* tantum et *in actu sacramentalis confessionis.* (Can. 1044.)

192. — II. **In aliis casibus urgentibus.**

Eadem potestas ipsi competit ac parocho et sub iisdem conditionibus et limitationibus supra n. 189 expressis. Sed videtur non posse ea uti extra sacramentalem confessionem, licet canon id non expresse exprimat.

Art. III

DE CAUSIS DISPENSATIONIS

193. — I. **Necessitas causae justae ad dispensandum.**

a) A lege ecclesiastica impedimentum matrimonii statuente ne dispensetur sine justa et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio a quocumque, Sancta Sede excepta, est illicita et invalida. (Can. 84 § 1.)

b) « Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur et potest licite et valide concedi. » (ibid. § 2.)

194. — II. **Divisio causarum dispensationis.**

a) Causae *motivae* seu finales dicuntur quae singillatim vel collectim sumptae per se sufficiunt ad dispensationem obtinendam.

Impulsivae quae, etsi per se insufficientes, superiorem tamen disponunt ut citius aut facilius dispensationem concedat.

In praxi melius est omnes exponere causas, quae natae sunt superiorem inclinare ad gratiam concedendam.

b) Causae quas jus vel stylus curiae ut finales seu motivas agnoscit dicuntur *causae canonicae.*

195. — III. **Causarum canonicarum elenchus.**

Instructio S. Congr. de Prop. Fide, diei 9 maii 1875 (6) sexdecim causas canonicas enumerat. Sunt :

a) *Angustia loci,* sive *absoluta* i. e. quando in loco non sunt plus quam 300 foci vel 1500 incolae et distat locus ultra 1500 metra a loco proximo; sive *relativa* quando cognatio foeminae in hoc loco tam late propagata est ut virum alium paris conditionis praeter impeditum invenire nequeat.

b) *Aetas foeminae superadulta* : i. e. si virgo aetatem 24 annorum expleverit et non inveniat alium sponsum sibi convenientem. Si tamen 40um annum attigerit, jam non admittitur haec causa ut canonica.

c) *Deficientia aut incompetentia dotis,* quae nempe obstat quominus foemina alium inveniat virum paris conditionis praeter impeditum.

d) *Lites* super *successione bonorum* exortae vel earumdem grave aut imminens periculum : in hoc sensu quod non adest volens mulierem in hac re adjuvare praeter virum qui cupit eam ducere.

e) *Paupertas viduae,* numerosa prole oneratae, vel quae simul sit *junior* et in *periculo incontinentiae* versetur.

f) Bonum *pacis* seu graves inimicitiae componendae.

(6) *Coll. P. F.* II, n. 1470.

i) *Infamia mulieris*, ex suspicione etiam falsa de mala familiaritate cum affine aut consanguineo.

j) *Revalidatio matrimonii* bona fide et in forma Ecclesiae contracti.

l) Periculum *matrimonii* mixti vel coram *acatholico ministro* celebrandi, cum gravissimo fidelium scandalo et gravi damno spirituali.

m) Periculum *incestuosi concubinatus.*

n) Periculum matrimonii civilis.

« Ne tamen in hoc vel similibus casibus nimia ob minas facilitate dispensatio concedatur, cum gravi periculo indifferentiae religiosae spargendae » (7).

p) *Remotio gravium scandalorum.*

q) Cessatio *publici concubinatus.*

r) Excellentia meritorum in Ecclesiae benefactore aut de religione optime merito.

196. — IV. **Causae non-canonicae.**

Tales utiliter allegantur causae quae matrimonium cum alia persona difficile reddunt.

197. — V. **Veritas causarum quae allegantur.**

a) Generatim requiritur etiam ad *valorem* dispensationis ut *verae* causae motivae allegantur.

b) Attamen valida est dispensatio, nonobstante falsitate causae adductae in duobus casibus :

1. Quando S. Sedes utitur hac vel aequivalenti formula in concessione : « ex certis rationabilibus causis. »

2. Quotiescumque agitur de impedimento minoris gradus. (Can. 1054.)

g) Nimia, suspecta, periculosa *familiaritas*, necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possint.

h) *Copula* et *praegnantia*, ideoque *legitimatio prolis.* Ista causa est ex urgentioribus.

(7) VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 318.

Art. IV

DE PETITIONE DISPENSATIONIS

I. **Quisnam petere et ad quemnam petitionem dirigere debeat.**

198. — a) *Pro dispensatione in foro externo a S. Sede obtinenda.*

Parochus, nomine oratorum supplicem libellum conficit et ad Ordinarium loci transmittit, ut Ordinarius ipse, propria commendatione addita, illum ad S. Congr. competentem Romam transmittat.

Vel parochus rem totam Ordinario exponit, qui ipse libellum conficiet et Romam mittet.

199. — b) *Pro dispensatione in foro interno a S. Sede obtinenda.*

Confessarius dispensationem a *S. Paenitentiaria,* nomine oratorum cum suppositis nominibus, *directe* petit. Vel mediante Ordinario libellum Romam transmittit. Vel etiam Ordinarium rogat ut ipse conficiat libellum et ad S. Paenitentiariam mittat.

Sed numquam ad Ordinarium petitio dirigi potest, quando adest periculum secreti sacramentalis vel alius violandi.

200. — c) *Pro dispensatione ab Episcopo obtinenda; Parochus,* si pro foro externo, vel *confessarius,* si pro foro interno, ad Episcopum recurrit, salvo semper secreto si de foro interno agatur.

201. — d) In praxi, nisi obstet necessitas secreti servandi, semper praestat mediante Episcopo recurrere. Forsan enim ipse habet facultatem saltem delegatam dispensandi. Et, si non habeat, libellum Romam transmittet.

202. — e) Ordinarius ad quem dirigi debet petitio est Ordinarius domicilii vel quasi domicilii vel actualis commorationis sponsorum.

203. — f) Si sponsi sint diversi dioecesis sufficit dispensatio ab Episcopo utriuslibet sponsi concessa, si facultatem dispensandi habeat ex speciali indulto.

II. **Quid continere debeat libellus supplex.**

204. — a) *Ad S. Sedem pro foro externo.*

Haec sequentia sunt necessario exprimenda :

1. *Nomen* et *cognomen* oratorum, distincte et nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis* domicilii vel quasi-domicilii oratorum, vel, si agatur de vagis, actualis commorationis.

3. *Species infima* impedimenti.

4. *Numerus* impedimentorum.

5. *Variae circumstantiae* :

Utrum agatur de contrahendo vel jam contracto matrimonio; si jam contractum, utrum bona fide, saltem ex una parte, an cum scientia impedimenti; an praemissis denuntiationibus et juxta formam praescriptam; an sit consummatum.

6. *Causae* dispensationis.

7. *Status pecuniarius* oratorum ut taxa determinari possit vel ut gratis dispensatio concedatur.

205. — b) *Ad S. Paenitentiariam pro foro interno.*

1. Si pro *foro sacramentali* petitio fiat, sedulo vitetur quidquid ducere valeat in cognitionem oratorum, et nomina fictitia adhibeantur. Quoad reliqua, idem observetur ac pro dispensatione in foro externo. (n. 204.)

2. Etiamsi de foro interno non sacramentali agatur, neque nomina neque locus oratorum exprimenda sunt, nisi quando dispensatio adnotanda sit in libro secreto S. Paenitentiariae.

206. — c) *Ad Ordinarium.*

1. In libello pro *foro externo* servari debet stylus curiae quoad *substantialia* ad validitatem dispensationis. Quoad caetera ad liceitatem, si ex delegata potestate, et ad convenientiam tantum, si ex ordinaria potestate Ordinarius dispenset.

2. Pro foro *sacramentali*, eaedem cautiones adhibendae ac in recursu ad S. Paenitentiariam. (n. 202, 1.)

3. Pro foro interno *non-sacramentali* exprimantur no-

men, cognomen et locus oratorum, ut dispensatio in libro secreto Curiae adnotari valeat ad norman can. 1047 (8).

Art. V

DE EXSECUTIONE DISPENSATIONIS

207. — I. **Exsecutio quando necessaria.**

a) Ut supra dictum est nº 178 d, dispensatio dari potest in forma *gratiosa* vel in forma *commissoria*.

Prior forma non requirit exsecutionem, sed a momento suae concessionis valet. Si vero data sit in forma *commissoria*, dispensatio tunc tantum exerit effectum, quando exsecutioni mandatur seu fulminatur ab eo qui ad hoc munus designatus est.

b) *Curia Romana* dispensationes concedere solet in forma commissoria.

Episcopi autem in forma gratiosa, si de publico; in forma commissoria, si de occulto impedimento agatur.

208. — II. **Exsecutor.**

a) Pro *impedimentis publicis* Sacra Congr. solet exsecutorem designare *Ordinarium* loci vel oratorum. Ipse est qui supplicem libellum confecit vel commendavit, etiamsi nupturientes in aliam dioecesim migrassent. Sed tunc, ut patet, monendus est Ordinarius dioecesis in qua matrimonium celebrandum est.

b) Pro *occultis* exsecutionem S. Congr. committere solet confessario ex approbatis ab Ordinario.

c) *Ab Ordinario* concessa pro foro *sacramentali* confessario, pro foro interno *non sacramentali* parocho vel confessario vel alii sacerdoti qui petitionem transmisit.

209. — III. **Exsecutionis modus.**

a) *Nulla* est exsecutio facta quin exsecutor jam habeat dispensationis rescriptum.

b) Exsecutor tenetur omnibus rescripti clausulis at-

(8) CAPELLO, *op. cit.*, nn. 278-279.

tendere et fideliter inhaerere. Nam omissio alicujus conditionis essentialis exsecutionem invalidam facit.

c) Tenetur, nisi de impedimento minoris gradus agatur, examinare an adhuc in momento exsecutionis veritate nitantur preces. Hac tamen inquisitione neglecta, non ideo exsecutio invalida fit, modo reipsa preces adhuc veritate nitantur.

In foro interno fidendum est oratori.

d) Pro foro externo exsecutio praescribitur *scripto* facienda. Valida tamen est, et, ex gravi causa, etiam licita, oretenus facta.

Pro foro *sacramentali viva voce* facienda est in actu confessionis.

Pro foro interno *non-sacramentali* generatim *viva voce* facienda est. Sed aliquando scripto facienda est, quando nempe impedimentum a quo dispensatur est de facto occultum, sed natura publicum. Tunc enim dispensatio data et fulminata registrari debet in libro secreto episcopalis Curiae.

e) Dispensatio debet fieri *expresse*, designando impedimentum a quo dispensatur et mentionem faciendo facultatis apostolicae, vi cujus dispensatio conceditur. Hoc tamen ultimum non est ad validitatem praescriptum.

An sit invalida dispensatio *implicite* seu *tacite* ab exsecutore data, non constat.

f) Nulla praescribitur determinata forma.

En formulam qua exsecutor uti potest :

« Auctoritate apostolica mihi specialiter delegata (vel, auctoritate Illustrissimi Episcopi dioecesis N. mihi specialiter delegata), dispenso tecum super impedimento (v. g. affinitatis in primo gradu lineae collateralis), ut, eo nonobstante, matrimonium cum dicta muliere (vel dicto viro), servata legitima forma, contrahere et in eo manere libere possis et valeas. In nomine Patris... etc. »

Vel si de matrimonio jam contracto convalidando agatur: « ...ut, eo nonobstante, matrimonium denuo contrahere et in eo manere libere possis et valeas. » Vel pro sanatione in radice : « Matrimonium a te nulliter contractum propter impedimentum (v. g. criminis neutro machinante) in radice sano prolemque susceptam et suscipiendam legitimam fore declaro... »

g) Si impedimentum unam partem tantum afficiat, vel pro una tantum parte sit culpabile, sufficit dispensa-

tio facta cum illa parte. Secus utraque pars accedere debet sive ad eumdem confessarium, sive ad diversos, et bis dispensatio fulminanda est. Id tamen non requiritur ad validitatem. Imo, justa causa suadente, licita fit exsecutio cum una tantum parte. Si duo sunt confessarii, prior suo poenitenti rescriptum tradit, postquam dispensationem pro sua parte fulminavit, ut transmittatur alteri confessario per alterum paenitentem.

h) Rescriptum dispensationis *pro foro externo* asservari debet in archivo curiae episcopalis, decretum vero quo fulminatur in archivo paroeciali.

i) Lacerari praescribitur aut comburi post executionem rescriptum pro foro interno. Excipe casum impedimenti natura publici, sed de facto occulti. Tunc enim, nisi de foro sacramentali agatur, asservandum est rescriptum in curiae episcopalis archivo, ut fidem facere possit pro foro externo, si postea impedimentum reveletur. (can. 1047.)

210. — IV. **De valore clausularum rescripti.**

a) Ad *validitatem* dispensationis pertinent clausulae introductae verbis : si, dummodo vel aequipollentibus.

b) Quae *ablativo* exprimuntur ad solam *liceitatem* pertinent, nisi ex natura rei vel stylo curiae necessariae sint. Ita necessaria est promissio de removendo periculo fidei in dispensatione super cultus disparitate vel in matrimonio mixto. Non necessariae sunt impositio paenitentiae, remòtio scandali, etc. (9).

---

(9) VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 323.

CAPUT VII

De Forma Celebrationis Matrimonii

Art. I

JUS ANTE CODICEM

211. — a) Si ad solum jus naturae vel etiam divino-positivum attendas, fatendum est omne matrimonium, utcumque clandestinum, modo contrahentes non impediti verum consensum de praesenti exprimant, esse verum et validum, et, si de baptizatis agatur, verum sacramentum.

212. — b) Attamen in dubium vertere non licet Ecclesiam posse quoad fidelium matrimonia, non tantum proprie dicta impedimenta etiam dirimentia statuere, sed aequo jure formam celebrationis matrimonii praescribere sub paena nullitatis contractus matrimonialis.

213. — c) Semper quidem Ecclesia matrimonia clandestina abhorruit et interdixit, utpote fontem multorum et gravium malorum. Sed usque ad Concilium Tridentinum ea non habebat irrita.

214. — d) 1. Tridentina synodus per celebre decretum incipiens « Tametsi » (1) formam matrimonii celebrandi praescripsit, ex cujus defectu non illicita solum, sed etiam plane invalida conjugia forent.

---

(1) *Sess. XXIV*, cap. I, De reform. matrim.

« Qui aliter quam *praesente parocho,* vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et *duobus* vel tribus *testibus,* matrimonium attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus *irritos et nullos* esse decernit prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. »

2. Patres tamen Tridentini jusserant, ne innumera haereticorum matrimonia ex hoc capite invalida fierent, ut decretum vim suam non exereret nisi post triginta dies a sua promulgatione in *unaquaque paroecia* facta.

De facto in multis regionibus numquam promulgatum est. Quae essent loca in quibus promulgatum est et quosnam incolas illorum locorum obligaret decretum saepe non constabat.

3. Sub legislatione Tridentina parochus (vel Ordinarius) domicilii vel quasi-domicilii erat competens ad assistendum quoad suos subditos tantum et quidem ubique terrarum sive per se, sive per delegatum. Sufficiens erat assistentia parochi passiva, etiam coacti et inviti.

Status legislationis a Tridentino concilio invectus quoad matrimonii celebrationem in Ecclesia viguit usque ad 19 Apr. 1908;

215. — Die 2 Aug. 1907 S. C. Conc. decretum edidit « Ne temere », quod tamen obligare coepit a sequenti festo Paschatis, die 19 apr. 1908. Haec lex quae, paucis mutatis, in Codicem juris canonici est recepta, novam disciplinam quoad formam matrimonii induxit.

Art. II

FORMA A CODICE PRAESCRIPTA IN CASIBUS ORDINARIIS

§ 1. Conditiones ad Validitatem.

216. — I. « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus. » (Can. 1094.)

II. **Conditiones necessariae ex parte testis qualificati.**

Testis ille qualificatus est vel parochus, vel Ordinarius loci, vel sacerdos ab Ordinario vel parocho legitime ad assistendum delegato.

217 a) *Parochus vel loci Ordinarius.*

1. Quinam parochi vel Ordinarii loci nomine veniant, vide supra n. 59.

2. « Valide matrimonio assistunt a die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1144, § 1, vel initi officii. » (Can. 1095, § 1, 1°.)

3. « nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati. » (ibid.)

Jus parochi vel Ordinarii quoad matrimoniis assistentiam cessat :

1) amissione officii, quocumque modo id fiat.

2) excommunicatione, interdicto vel suspensione ab officio, modo censurae illae infligantur per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.

4. Putativus tamen parochus vel Ordinarius valide assistit, quia Ecclesia supplet ejus potestatem in errore communi. (Can. 209.)

Item, ob suppletionem Ecclesiae, parochus vel Ordinarius valide assistunt in dubio positivo et probabili juris vel facti de sua competentia ad assistendum matrimonio. (ibid.)

5. « Intra fines dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditerum valide assistunt. » (Can. 1095, § 1, 2°.)

1) Intra fines proprii territorii *omnium*, extra illos fines *nullius* etiam subditi matrimonio valide assistunt.

2) Ecclesiae et domus regularium exemptae, quoad assistentiam matrimonio, in territorio parochi et Ordinarii esse censentur.

3) Ubi plures parochi cumulative idem territorium obtinent, singuli in toto territorio valide assistunt (2).

4) Rectores piorum locorum, v. g. hospitalium, qui plena potestate paroeciali fruuntur, non possunt assistere nisi suorum subditorum et in loco tantum ubi jurisdictionem exercent (3).

---

(2) S. C. C., 1 febr. 1908, ad VIII.

(3) *Ibid.*, ad X.

5) Parochi stricte personales, v. g. capellani castrenses, ubi ipsis animarum cura concredita est, nonnisi suorum subditorum matrimonio, sed ubique valide assistunt (4).

6. « Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. » (Can. 1095, § 1, 3°.)

1) Vis et metus gravis a quocumque illata ad extorquendam directe vel indirecte assistentiam, matrimonium reddit nullum.

2) Dolus adhibitus non nocet validae assistentiae.

3) Nunc semper requiritur assistentia *activa*, i. e. debet exquirere et recipere consensum contrahentium, etiam in matrimoniis mixtis. Secus matrimonium est invalidum.

4) Nihil refert ad validitatem an per se vel per interpretem , per verba vel scripturam vel signum parochus agat.

5) Valet matrimonium, si, post requisitum consensum, parochus voluntarie illum non percipit, v. g. obturando aures.

218. — b) *Sacerdos a parocho vel Ordinario delegatus.* « Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat. » (Can. 1095, § 2.)

1. Delegare valent omnes et soli qui supra n. 59 dicuntur comprehendi sub nomine parochi vel Ordinarii loci, et solum in quantum ipsi personaliter assistere jus habent et sub iisdem conditionibus. Nam « nemo potest plus juris tranferre in alium quam sibi competere dignoscatur » (5). Imprimis notandum delegationem non valere extra fines territorii delegantis.

2. Sic delegatus potest alium subdelegare in sequentibus casibus :

1) si ab apostolica Sede sit delegatus, nec electus sit ratione specialis industriae nec ipsi subdelegatio sit prohibita. (Can. 199, § 2.)

---

(4) *S. C. C.*, 1 febr. 1908, ad VII.

(5) *Regula juris* 79 in Sexto.

2) si delegatus sit ad omnia matrimonia (can. 199, § 3.) (6).

3) si facultas subdelegandi sit ipsi expresse concessa. (Can. 199, § 4.) (7).

3. Subdelegatus non potest iterum suam potestatem subdelegare, nisi id expresse concessum fuerit. (Can. 199, § 4.)

« Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est. » (Can. 1096, § 1.)

1. *Quicumque* sacerdos potest delegari, si modo aliquo determinetur. Possunt plures sacerdotes delegari, v. g. omnes in paroecia commorantes.

2. 1) Ad *determinatum* matrimonium vel *determinata* matrimonia restringitur licentia assistendi. Parum refert quo pacto illa fiat determinatio, sive nomine, titulo aut officio contrahentium, sive hora et loco celebrationis.

2) Exceptio datur quoad solos vicarios cooperatores, qui in paroecia tantum cui inserviunt valent accipere delegationem generalem ad omnia vel certae categoriae matrimonia.

In hac re cooperatoribus assimilantur vicarii adjutores (coadjuteurs) qui ex parte tantum parochi vices supplent.

3. *Expresse* dari debet delegatio.

4. Requiritur ut delegatus delegationem cognoscat et implicite saltem acceptet, nisi tamen delegatio lege aut statuto detur.

5. Metu extorta delegatio valet.

6. Ut valide matrimonio assistentiam praestet eodem prorsus modo se gerere debet delegatus ac ipse parochus vel Ordinarius personaliter assistens.

---

(6) Cfr. *etiam resp. Pont. Comm. ad Cod., can. auth. interpr.* IV, De subdel. assistendi matrim. I, die 28 dec. 1927, A. A. S. 1928 p.p. 61 et 62.

(7) Id. resp. II *A. A. S.*, 1928, p. 62.

7. Morte vel amotione delegantis, delegatio non cessat, nisi id expresse statutum fuerit. (Can. 207, § 1.)

219. — III. **Conditiones necessariae ex parte testium.**

a) Sufficit ut testes sint apti ad faciendam fidem de celebrato matrimonio, quin ulla in eis specialis qualitas exigatur.

b) Duo saltem sint oportet.

c) Oportet ut sint physice seu corporaliter et simul moraliter praesentes celebrationi matrimonii, taliter scilicet ut percipiant matrimonium inter illum et illam celebrari.

d) Testibus idiomatis ignaris, si interpres verba explicet consensum exprimentia vel etiam si duo interpretes adhibeantur, quorum alter alterius explicat verba, valet matrimonium.

e) Vis et metus adhibita ut testes assistant nullatenus nocent validitati matrimonii.

§ 2. Conditiones ad Liceitatem.

220. — I. **Ex parte parochi vel Ordinarii vel delegati sacerdotis.**

a) Moralis certitudo habeatur de contrahentium statu libero (8).

b) Alteruter nupturientium sit subditus parochi vel Ordinarii loci. Fit autem aliquis subditus : Domicilio, quasi-domicilio, menstrua commoratione, vel, si de vagis agatur, actuali commoratione.

1. *Domicilium* in vulgari significatione est stabilis sedes seu habitatio alicujus personae. Sed *domicilium juridicum* requirit certas conditiones stabilitatis lege definitas.

Distinguitur in :

1) *necessarium* seu legale, quod ipsa lege obtinetur, sine ulla facti conditione. Sic uxor a viro legitime non separata habet domicilium viri, minor do-

(8) Cfr. *supra*, n. 65.

micilium illius cui subest, amens curatoris. (Can. 93, § 1.)

2) *voluntarium* seu *proprium* quod certis conditionibus facti satisfacere debet.

Codex induxit praeter domicilium in paroecia vel quasi paroecia, domicilium in dioecesi (can. 92). Potest ergo quis vagus esse in paroecia et domicilium habere in dioecesi.

Domicilium voluntarium acquiritur dupliciter :

Commoratione in paroecia, quasi paroecia, vel saltem dioecesi, vel quasi dioecesi, conjuncta cum *animo ibi perpetuo manendi*, si inde nihil avocet.

Commoratione sola ad decennium protracta (Can. 92, § 1.)

In utroque casu commoratio debet esse per modum inhabitantis. Sed non est necessaria commoratio continua per annum.

In priore casu domicilium a primo die commorationis acquiritur, in altero, post decennium completum.

2. « *Quasi-domicilium* acquiritur commoratione uti supra, quae vel conjuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad majorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad majorem anni partem. » (Can. 92, §2.)

In priore casu a primo momento commorationis, in altero tempore completo acquiritur quasi-domicilium.

3. « Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi » (c. 95). Agitur hic de domicilio et quasi domicilio *voluntario*, non de *legali et necessario*, quod semper servatur, quamdiu manet subjectio erga maritum, parentes, tutorem vel curatorem (9).

4. *Menstrua commoratio.*

a) Requirit unice factum commorationis per mensem continuum. Mensis sumitur prout est in calendario. Prima dies non computatur et tempus finitur expleto ultimo die ejusdem numeri alterius mensis, vel si mensis ille die ejusdem numeri careat, expleto ultimo die illius mensis. (Can. 34.)

b) Unius vel alterius diei absentia non est attendenda, nec dies absentiae supplendi sunt. Diurnae absentiae non sunt computandae.

---

(9) VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. I, nn. 184, 187.

5. *Actualis commoratio in paroecia.*

Sufficit non solum pro vagis, sed etiam pro illis qui solum domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum habent. (Can. 94, § 3.)

Ubi vero de *vere vagorum* matrimonio agitur, opus est ad licite assistendum licentia Ordinarii loci vel ipsius delegati. (Can. 1032.)

c) Quotiescumque non agitur de subdito per aliquem ex modis statim explicatis, requiritur « licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis. » (Can. 1097, §, 1, 3°.)

1. Haec licentia potest dari verbo aut scripto, expresse vel tacite, imo rationabiliter praesumi. Potest etiam generaliter concedi.

2. Gravis necessitas excusat a non petenda (Can. 1097, § 1, 3°). Adest casus necessitatis gravis, quandocumque verificatur incommodum sat notabile ex parte parochi vel nupturientium (10).

3. Si absque debita licentia parochus assistat, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat. (Can. 1097, § 3.)

1) *Proprius* parochus i e. sive domicilii, sive quasi-domicilii, sive menstruae commorationis ratione.

2) Illam poenam non incurrit qui agit ex licentia rationabiliter praesumpta, vel qui excusatur a licentia petenda gravi necessitate.

d) « In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi justa causa excuset. » (Can. 1097, § 2.)

Quaelibet justa causa excusat ab hoc praescripto, quod caeteroquin sub levi tantum obligat. Quando justa causa adest, nulla licentia parochi sponsae exigitur, sed decet illum monere.

e) « Matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari jure cautum sit, in ritu viri et coram ejusdem parocho sunt celebranda. » (Can. 1097, § 2.)

---

(10) CAPELLO, *op. cit.*, n. 687.

221. — II. **Ex parte testium.**
Acatholici, excommunicati non debent regulariter admitti. Minus decet admittere mulieres.

Art. III

FORMA A CODICE PERMISSA IN CASIBUS EXTRAORDINARIIS

222. — I. Codex duos casus ponit in quibus valide et licite recedi potest a consueta matrimonii celebratione.

« Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam cc. 1095, 1096 :

1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;

2° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, cum testibus, matrimonio assistere debet, salva conjugii validitate coram solis testibus. » (Can. 1098.)

223. — II. **Prior casus : In periculo mortis.**
a) Tres conditiones requiruntur :

1. *Periculum mortis.*

Sufficit periculum, ut jam diximus supra n. 185, 1, 1°, ex quacumque causa, alterutri contrahentium imminens, grave, certum vel serio probabile. Error in aestimando periculo non nocet validitati matrimonii.

Parum refert quae sit causa motiva matrimonii.

2. *Grave incommodum prohibens quominus habeatur vel adeatur parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus.*

Sufficit quodlibet incommodum grave, spirituale vel temporale, sive partes sive sacerdotem sive tertiam personam afficiens, ut parochus censeatur non posse haberi vel adiri.

3. *Praesentia duorum testium.*

Testes debent esse saltem duo, ut in ordinaria matrimonii celebratione et eodem modo se gerere.

b) 1. Si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, debet vocari et cum testibus assistere, etiamsi censura innodatus, non tamen vitandus.

2. Id tamen non praescribitur sub poena invaliditatis matrimonii.

3. Talis sacerdos facultatem amplissimam habet quoad dispensationem impedimentorum, ut supra dictum est n. 188 b).

4. Si desit talis sacerdos et habeatur impedimentum dirimens juris ecclesiastici, super quo Ecclesia dispensare solet, probabiliter potest conjugium valide celebrari, cessante lege ecclesiastica in conflictu cum lege naturali (11).

224. — III. **Alter casus : Extra mortis periculum.**

a) *Tres conditiones requiruntur :*

1. *Grave incommodum quominus habeatur vel adeatur parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus.*

Ut supra n. 223, a) 2.

2. *Prudens aestimatio de ea rerum conditione per mensem duratura.*

1) Nihil interest testem qualificatum a multo vel brevi tempore abesse. Sufficit ut prudenter praesumendum sit eum non fore praesentem infra mensem, licet de facto erronea sit illa praevisio.

2) Mensis oportet sit continuus et completus.

3) Validae sunt nuptiae, licet nupturientes in fraudem egerint legis.

3. *Praesentia duorum testium.*

225. — IV. **Qualis absentia testis qualificati sufficiat ut locus sit celebrationi matrimonii cum solis testibus?**

Haec quaestio permagni momenti disputabatur inter auctores : Utrum scilicet valeat matrimonium sine parochi vel sacerdotis delegati interventu, cum parochus quidem potest adiri vel accersiri, sed recusat matrimonium celebrare, v. g. quia lex civilis ipsi vetat illam celebratio-

(11) CAPELLO, *op. cit.* n. 692, 4.

nem, in casu quo nupturientes matrimonio civili non sunt juncti et jungi non valent.

Et quidem major pars auctorum censebant tale matrimonium omnino validum esse cum hic ad minus lex obligans ad matrimonium celebrandum coram parocho esset dubia.

Sed die 10 mensis martii 1928, Pontificia comm. ad Codicis Can. auth. interpret. responsum promulgavit quae causam omnino dirimit. « D. An canon 1098 ita intelligendus sit ut referatur tantum ad physicam parochi vel Ordinarii loci absentiam.

R. Affirmative » (12).

Jam ergo nullum est dubium talia matrimonia deinceps celebranda omnino invalida esse. Sed videtur ea quae taliter antea celebrata essent valida esse, ob dubietatem legis.

226. — V. **Sicut in periculo mortis, ita in aliis casibus, vocari debet alius sacerdos si praesto sit, ut cum testibus matrimonio assistat.** Cfr. n. 223, 3. b.

Art. IV

QUINAM TENEANTUR AD FORMAM CODICIS SERVANDAM

227. — I. **Principium.**

Lex ecclesiastica *ex se* omnes baptizatos etiam acatholicos obligat, nisi ipsa Ecclesia quosdam a sua lege excipiat.

De facto Ecclesia exceptiones concedit in favorem aliquorum quoad obligationem servandae formae externae in celebratione matrimonii.

228. — II. **Statutum juris canonici.**

« Ad statutam superius formam servandam tenentur :

1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex

(12) A. A. S., XX, 1928, p. 120.

haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt.

2° Iidem de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non-baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant.

3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis. » (Can. 1099, § 1.)

Tenentur ergo :

a) *In catholica Ecclesia baptizati, et ad ritum latinum pertinentes.*

1. Quinam sint in Ecclesia catholica baptizati, vide supra n. 119.

2. Excipiuntur nati *ab acatholicis* qui in Ecclesia quidem catholica baptizati sunt, sed ab infantili aetate, i. e. ante septennium completum (can. 88, § 3) in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt. (Can. 1099, § 2.)

3. Non autem dispensantur filii a parentibus *catholicis* nati, qui ut supra extra religionem catholicam educati sunt (13). Sed dispensantur si alteruter parentum fuerit acatholicus (14).

4. Si dubium exsistat de baptismo vel de ejus valore, validum censetur matrimonium sine forma Codicis celebratum, quotiescumque compars est ex dispensatis a lege.

b) *Ad Ecclesiam catholicam conversi, si sint ritus latini.* Quinam sint illi cfr. supra n. 120.

c) Praedicti omnes tenentur ad formam Codicis, sive inter se, sive cum iis qui ab ea forma immunes sunt, contrahant.

229. — III. **Quinam sint a lege immunes.**

a) Non-baptizati.

b) Baptizati in secta heterodoxa et numquam conversi.

c) Baptizati in Ecclesia catholica, sed simul ab acatho-

---

(13) CAPELLO, *op. cit.*, nn. 700, 1° et 701, 3°; VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 407.

(14) *Pont. Comm. ad Cod. can. auth. inter. II, De matr. acath.*, 20 jul. 1929, A. A. S. 1929, p. 573.

licis nati et extra Ecclesiam catholicam ab infantili aetate educati.

d) Catholici Orientales.

Excipiuntur tamen :

1. *Rutheni* qui tenentur servare formam Decreti « Ne Temere. »

2. *Maronitae* apud quos viget forma Tridentina.

230. — IV. **Omnes exempti tenentur ad formam juridicam, si cum parte non exempta contrahant.**

Art. V

PRAESCRIPTA LITURGICA

231. — I. **Eorum obligatio.**

« Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti. » (Can. 1100.)

Ex variis S. S. C. C. decretis constat formam liturgicam servandam esse *sub gravi*, etiam in secundis nuptiis.

232. — II. **Sollemnis benedictio.**

a) « Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest, etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato. » (Can. 1101, § 1.)

1. Obligatio suscipiendi sollemnem benedictionem est levis. Imo non constat de proprie dicta obligatione. Si die ipsa non sit accepta, nulla obligatio eam accipiendi jam exsistit.

2. In pluribus dioecesibus, notanter in Leodiensi, illa benedictio fere semper omittitur, quia perraro nuptiae cum missa celebrantur.

b) « Solemnem benedictionem ille tantum sacerdos *per se* ipse vel *per alium* dare potest qui valide et licite matrimonio potest assistere. » (Can. 1101, § 2.)

Potest alter matrimonialem consensum requirere et re-

cipere, et alter missam celebrare et sollemnem impertiri benedictionem.

c) Sollemnis benedictio *omitti debet :*

1. *Tempore feriato* (Can. 1101, § 1) scilicet a I Dominica Adventus ad Domini Nativitatem inclusive, et a feria IV Cinerum ad festum Paschatis inclusive. (Can. 1108, § 2.)

Ex justa causa Ordinarius loci dispensare potest, salvis legibus liturgicis, et monitis sponsis ut nimiam vitent pompam. (can. 1108, § 3.)

2. In matrimoniis *mixtis* vel cum *infideli.*

3. Quando mulier jam illam benedictionem suscepit. (Can. 1143.)

4. Quando una tantum missa *ritu defunctorum* celebratur die nuptiarum, quia illa benedictio non valet in tali missa accipi.

5. Ob interdictum *generale* afficiens locum (can. 2271, 2°) vel particulare afficiens ecclesiam in qua nuptiae celebrantur. (Can. 2272, § 3, 2°.)

233. — III. **Forma in matrimoniis mixtis vel disparis cultus observanda.**

a) Jam diximus illa matrimonia eadem prorsus forma juridica celebranda esse sub poena invaliditatis ac matrimonia inter catholicos. Ergo parochus debet requirere et excipere consensum sponsorum (15).

b) Quoad ritus liturgicos omittendos vel de venia Ordinarii aliquo modo permissos, recole quae dicta sunt supra n. 87 b.

Art. VI

DE MATRIMONII CELEBRATI INSCRIPTIONE

234. — I. **Inscriptio in libro matrimoniorum.**

« Celebrato matrimonio, parochus vel qui ejus vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum

(15) Cfr. supra, n. 87, a.

nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum, idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit. » (Can. 1103, § 1.)

a) Parochi ipsius vel ejus vices-gerentis, etiam in casu matrimonii celebrati ab alio sacerdote, munus est inscribendi matrimonium in libro matrimoniorum. Si utatur manu aliena, ipse saltem subscribere debet.

b) *Quamprimum*, i. e. intra tres aut quatuor dies inscriptio est facienda.

c) *In libro*, non autem in foliis separatis inscriptio fiat.

d) *Gravis* est illa obligatio.

e) *Convalidatio* vel *solutio* matrimonii etiam est adnotanda.

f) 1. Quotiescumque ratione secreti, matrimonium non potest in libro paroeciali inscribi, et tamen bonum prolis postulat ut tale matrimonium probari possit in foro externo, in libro secreto Curiae episcopalis inscriptio fiat.

2. At si obstet sacramentale sigillum, ne secretam quidem adnotationem confessarius curare potest, absque expressa licentia quorum interest (16).

235. — II. **Inscriptio in libro baptizatorum.**

« Praeterea ad normam can. 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur. » (Can. 1103, § 2.)

a) Illa adnotatio praecipitur eo fine ut facilius matrimonium forsan jam contractum ab illo qui vult nubere detegatur.

b) Si *uterque* vel *alteruter* conjux *in paroecia matrimonii* baptizatus sit, in libro baptizatorum in margine vel ad calcem inscripti baptismi, adnotetur talem in hac paroecia, tali die, mense, anno, matrimonium contraxisse, indicatis nominibus, cognominibus, aetate compartis, no-

(16) CAPELLO, *op. cit.*, n. 718.

minibus et cognominibus parentum compartis, testium et parochi.

Sed modus facilior et licitus est indicare in margine ad locum inscripti baptismi : « Matrimonium contraxit cum N. N. Cfr. librum matrimoniorum. »

c) Si *uterque* vel *alteruter* conjux alibi baptizatus sit, parochus qui matrimonio adstitit denuntiare conjugium parocho vel parochis baptismi, cum omnibus indicationibus sub b) enumeratis, et scriptum nuntium paroeciali sigillo munire.

In matrimonio mixto de inscriptione in libro baptismatum pro sola parte catholica curandum est.

d) Parochus baptismi omnia in libro baptizatorum accurate notet.

e) Si ignoretur locus, sed dioecesis baptismi certo vel ex praesumptione noscatur, certior fiat Ordinarius illius dioecesis, qui ipse disquisitionem instituat ad rite matrimonium in libro baptizatorum inscribendum.

f) *Gravis* est ista obligatio, sicut obligatio inscribendi in libro matrimoniorum.

236. — III. **Inscriptio matrimonii absque interventu parochi vel delegati celebrati.**

« Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum conjugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur. » (Can. 1103, § 3.)

a) Obligatio afficit primo sacerdotem, si matrimonio adstiterit. Si nullus sacerdos adstiterit, tenentur in solidum testes et contrahentes.

b) Denuntiandum est matrimonium vel parocho loci ubi matrimonium initum est, vel parocho proprio contrahentium *et* parocho baptismi. Si in illo loco nulla paroecia vel quasi paroecia adsit, denuntiatio fiat Ordinario loci.

Art. VII

DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE

237. — I. **Notio.**

Matrimonium conscientiae est matrimonium celebratum

quidem coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote rite delegato et duobus testibus, sed omissis denuntiationibus et secreto.

238. — II. **Conditiones quae tale matrimonium licitum reddunt.**

« Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine speciali mandato, permitti potest ut *matrimonium conscientiae* ineatur. » (Can. 1104.)

a) Quaenam sit causa illa gravissima et urgentissima? Ex stylo et praxi S. Paenitentiariae talis censetur, si duae personae sub specie matrimonii palam vivunt, sed reapse sunt concubinarii, quin aliqua suspicio de eorum peccato adsit. Sed aliae causae possunt dari.

b) Ordinarii officium est accurate perpendere causas et potissimum omnino certiorem fieri de statu libero contrahentium.

239. — III. **Quasnam sequelas secumferat permissio celebrandi matrimonii conscientiae.**

a) « Permissio celebrationis matrimonii conscientiae secumfert promissionem et gravem obligationem secreti servandi ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii ejusque successorum, et etiam alterius conjugis, altero non consentiente divulgationi. » (Can. 1105.)

b) Liber evadat Ordinarius ab illa obligatione secreti servandi :

1) Si aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem injuria ex secreti observantia immineat.

2) Si parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari.

3) Si eos baptizandos curent falsis expressis nominibus nisi tamen Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant.

4) Si demum christianam filiorum educationem negligant. (Can. 1106.)

c) De his ut patet, monendi sunt conjuges, imo promittere debent obligationes suas erga sobolem se esse adimpleturos.

240. — IV. **Inscriptio matrimonii.**

« Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379. » (Can. 1107.)

CAPUT VIII

De Matrimonii Convalidatione

Art. I

DE CONVALIDATIONE MATRIMONII IN GENERE

241. — I. **Diversa remedia invalido matrimonio adhibenda.**

Quatuor modis occurri potest casui matrimonii invalidi:

a) Procurando declarationem juridicam nullitatis et conjugum separationem (1).

b) Permittendo ut putativi conjuges cohabitare pergant ut frater et soror.

c) Illos in bona fide relinquendo.

d) Matrimonium convalidando.

Sed, ut patet, non indiscriminatim haec media adhiberi valent, sed hoc vel illo uti oportet, pro diversa tum causa nullitatis tum putativorum conjugum dispositione.

a) *Declaratio nullitatis* raro suadenda est et ad casus necessarios restringenda : puta quando nullitas matrimonii nequit sanari, vel quando uterque vel alteruter conjux nullo modo vult cum comparte cohabitare, vel vult aliud matrimonium contrahere, etc...

b) Perquam raro expedit, propter grave periculum peccandi, permittere putativis conjugibus ut cohabitent sicut frater et soror.

---

(1) Saepius ad illam nullitatis declarationem obtinendam sola patet via judiciaria. Aliquando tamen procedi potest via administrativa. Cfr. Can. 1990.

c) Cum uterque nullitatem ignorat, saepe melius est eos in bona fide relinquere, si tamen nullitas sit occulta.

d) Sed quoad possibile est, praeeligi debet matrimonii convalidatio.

242. — II. **Notio convalidationis.**

a) *Convalidatio* dicitur actus quo matrimonium invalide contractum efficitur validum.

b) Duplex distinguitur species convalidationis :

1. Convalidatio simplex.
2. Sanatio in radice.

c) In hoc ab invicem differunt quia :

1. Convalidatio simplex requirit semper ut renovetur consensus, dum sanatio in radice ab illa renovatione dispensat.

2. Convalidatio simplex respicit unice futurum, dum sanatio in radice vim suam exserit etiam in praeteritum, per fictionem juris, quoad effectus canonicos.

Art. II

DE CONVALIDATIONE SIMPLICI

243 — Juxta diversam causam invaliditatis matrimonii, diversa fit ratio agendi in convalidatione. Jamvero triplici ex fonte concipi potest nullitatem matrimonii oriri :

a) *ex impedimento dirimenti,*
b) *ex defectu consensus,*
c) *ex defectu formae.*

§ 1. Convalidatio Matrimonii invalidi ex Impedimento dirimenti.

244. — « Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia. » (Can. 1133, § 1.)

Duplex ergo conditio requiritur ad convalidationem : cessatio impedimenti et renovatio consensus.

245. — a) *Cessatio impedimenti.*

1. Restringitur convalidatio ad impedimenta quae tolli possunt uno aliove modo. Si enim agatur de impedimento inamovibili, impossibilis est convalidatio.

2. Aliquando impedimentum cessat *ab intrinseco*, quia ipsum factum quod impedimentum constituebat jam non exsistit. Sic impedimentum aetatis cessat fluxu temporis, ligamen tollitur morte conjugis, disparitas cultus cessat per conversonem partis infidelis, raptus, reddita mulieri libertate.

3. Aliquando cessat *ab extrinseco*, per legis abrogationem. Sic plura impedimenta anterioris juris a die 19 maii 1918 cessaverunt, quia abrogata sunt a Codice Juris Canonici.

4. Ab extrinseco etiam cessare potest impedimentum per dispensationem. De hoc modo impedimentum auferendi late disseruimus supra cap. VI.

5. Sedulo notetur tunc tantum impedimentum quod fuit causa nullitatis matrimonii indigere dispensatione quando adhuc persistit (2).

b) *Renovatio consensus.*

246. — 1. *Ejus necessitas.*

1) Renovatio consensus semper requiritur, saltem quoad partem impedimenti consciam. (Can. 1133, § 1.)

2) « Haec renovatio jure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit. » (Ibid., § 2.)

247. — 2. *Ejus natura.*

« Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse. » (Can. 1134.)

Necesse ergo est ut pars altera vel utraque de nullitate moneatur et dein explicita renovatio consensus ab ipsa fiat.

---

(2) Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 449. — CAPELLO, *op. cit.*, n. 844.

248. — 3. *Ejus modus.*

Modus in consensus renovatione adhibendus varius esse debet juxta varios casus qui occurrere possunt.

Triplex autem datur hypothesis :

1) « Si impedimentum sit *publicum*, consensus ab utraque parte renovandus est *forma jure praescripta.* » (Can. 1135, § 1.)

1° « Forma jure praescripta » sive ordinaria, sive extraordinaria, juxta circumstantias, ut dictum est supra cap. VII.

2° Si tamen impedimentum natura publicum sit de facto occultum, potest forma plus minusve secreta de licentia Ordinarii adhiberi, adstringendo testes ad secretum servandum et etiam in aedibus privatis matrimonium celebrando (3).

2) « Si sit *occultum* et *utrique parti notum*, satis est ut consensus *ab utraque parte* renovetur *privatim* et *secreto.* » (Can. 1135, § 2.)

In hac hypothesi non est opus praesentia sacerdotis vel testium. Sufficit ut uterque consensum exprimat his vel similibus verbis : accipio te in maritum, accipio te in uxorem.

3) « Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret. » (Can. 1135, § 3.)

1° Non amplius necesse est ut moneatur pars quae impedimentum et nullitatem ignorat.

2° Explicite consensus debet renovari, sed quocumque modo id potest fieri etiam solo actu interno.

3° Altera pars, nullitatis inscia, perseverat in consensu in celebratione matrimonii praestito, usquedum illum actu positivo voluntatis non retractaverit.

N. B. Curet parochus vel confessarius, in quantum possibile est, ut conjuges putativi, vel saltem pars nullitatis conscia, sint in statu gratiae, quando consensum renovant, quia tunc temporis sacramentum recipiunt.

---

(3) VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, 451, 1. — CAPELLO, *op. cit.*, n. 845, 1°.

§ 2. Convalidatio Matrimonii invalidi ex Defectu Consensus.

249. — I. *Necessitas novi et validi consensus.*

« Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, jam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret. » (Can. 1136, § 1.)

a) Unica conditio, sed omnino necessaria et prorsus indispensabilis, ad convalidationem matrimonii ob defectum consensus invalidi, est ut pars quae non consenserat valide consentiat.

b) Pars nullitatem ignorans non est monenda.

c) Ejus tamen consensus antea praestitus oportet ut perseveret. Sed perseverat, si non retractatus sit positivo actu voluntatis.

250. — II. *De modo illum consensum praestandi.*

a) « Si defectus consensus fuerit mere *internus*, satis est ut pars quae non consenserat, *interius* consentiat. » (Can. 1136, § 2.)

b) « Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma jure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus. » (Ibid., § 3.)

N. B. Valet hic etiam quod diximus in fine paragraphi praecedentis de cura impendenda a parocho vel confessario ut in statu gratiae ille consensus praestetur.

§ 3. Convalidatio Matrimonii invalidi ex Defectu Formae.

251. — « Matrimonium nullum ex defectu formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma. » (Can. 1137.)

Art. III

DE SANATIONE IN RADICE

252. — I. **Notio.**

a) « Matrimonii in radice sanatio est ejusdem *convalidatio*, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, *dispensationem* a lege *de renovando consensu*, et *retrotractionem*, per fictionem juris, circa effectus canonicos, ad praeteritum. » (Can. 1138, § 1.)

b) « Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur. » (Ibid., § 2.)

1. Matrimonium incipit valere « a momento concessionis gratiae » i. e. : si detur sanatio in forma gratiosa, statim ac rescriptum subsignatur, si vero in forma commissoria, statim ac exsecutioni mandatur.

2. Sed effectus canonici retrotrahuntur per juris fictionem ad initium matrimonii, tamquam si matrimonium ab initio validum fuisset. Sic filii ex tali matrimonio nati ut legitimi habentur.

3. Aliquando non ad initium matrimonii retrotractio habetur, sed ad aliquod tempus intermedium, praesertim in sanatione partiali quae respicit tantum prolem legitimandam.

c) Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest, vel una tantum vel utraque parte nescia. » (Can. 1138, § 3.)

1. Etiam *invita* una parte, potest concedi et interdum conceditur sanatio in radice.

2. Item alterutra vel utraque parte defuncta, si agatur de sanatione partiali.

3. Etiam *utraque parte invita*, potest concedi sanatio. In praxi id facit S. Pontifex in *casu particulari* interdum, tantummodo si agatur de sanatione partiali, quoad effectus canonicos, v. g. in bonum prolis. Sed sanationes generales aliquando concessae a Papa omnia matrimonia attingunt, sive velint, sive nolint conjuges suum matri-

monium convalidari, modo conditiones requisitae ad sanationem in radice verificentur (4).

253. — II. **Conditiones necessariae ad habendam sanationem in radice.**

« Quodlibet matrimonium innitum cum *utriusque partis consensu naturaliter sufficiente*, sed juridice inefficaci ob dirimens *impedimentum juris ecclesiastici* vel ob *defectum legitimae formae*, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret. » (Can. 1139, § 1.)

Tres ergo conditiones iste canon requirit ut valeat concedi sanatio in radice.

a) Imprimis oportet ut utraque pars verum et *naturaliter* seu ex se sufficientem consensum praestiterit, nec revocaverit.

1. Impossibile omnino est Ecclesiam sanare matrimonium in quo radix ipsa sananda prorsus deficit, quae est matrimonialis consensus. Sine consensu enim nullum matrimonium concipi potest. (Can. 1140, § 1.)

2. Civile matrimonium, si vere adfuerit consensus maritalis naturaliter sufficiens, nihil prohibet in radice sanari.

3. « Quod si consensus ab *initio* quidem defuerit, sed *postea praestitus fuerit*, sanatio concedi potest *a momento praestiti consensus*. » (Can. 1140, § 2.)

b) Necesse est causam nullitatis matrimonii esse vel impedimentum *juris ecclesiastici* vel *defectum formae legitimae*.

1. Si vero agatur de impedimento juris naturalis vel divini, nequit Ecclesia illud matrimonium in radice sanare *ab initio matrimonii*. Neque enim per fictionem juris potest Ecclesia ut validum habere matrimonium cui obstat impedimentum juris naturalis vel positivo-divini, quod ejus potestatem dispensandi superat (5).

2. A tempore quo jam cessavit impedimentum juris divini vel naturalis, posset quidem Ecclesia matrimonium sanare. Sed de facto neque illam partialem sanationem tali matrimonio concedit.

« Matrimonium vero contractum cum impedimento juris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum ces-

(4) CAPELLO, *op. cit.*, n. 852.

(5) CAPELLO, *op. cit.*, n. 854.

saverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti. » (Can. 1139, § 2.)

c) Praeterea *causa gravis* et *urgens* requiritur.

Talis autem adest quando aliter nullatenus vel tantum cum gravis damni periculo matrimonium convalidari potest.

254. — III. **Auctoritas competens ad concedendam sanationem in radice.**

« Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede. » (Can. 1141.)

a) Summus Pontifex utitur ordinarie organo SS. CC. ad concedendam sanationem in radice, vel, si de foro interno agatur Sacrae Paenitentiariae, ut dictum est pro dispensationibus ab impedimentis. Cfr. supra n. 182 quae dicta sunt de competentia respectiva diversarum Congregationum et S. Paenitentiariae.

b) Ex indulto S. C. de Prop. Fide, Ordinarii in locis missionum sanare in radice valent matrimonia quae nulla sunt ob impedimentum super quo dispensare possunt.

Praeterea facultas ipsis conceditur sanare in radice matrimonia *mixta* coram ministro acatholico vel magistratu civili contracta.

c) Legati S. Sedis et Ordinarii locorum facultates obtinent matrimonia sanandi in radice, certo ambitu circumscriptas.

255. — IV. **De petitione sanationis in radice.**

a) Dirigatur petitio pro casus diversitate ad S. Officium, vel S. C. de Sacramentis, vel S. C. pro Eccl. Orient., si de foro externo agatur, mediante curia episcopali, vel ad Ordinarium; vel ad S. Paenitentiariam, pro foro interno. Cfr. dicta nn. 198-203.

b) In libello supplici ea indicentur quae diximus supra nn. 204-206.

256. — V. **De exsecutione.**

Recole dicta cap. VI, art. V.

Curet parochus vel confessarius in quantum possibile est, ut, in momento exsecutionis rescripti sanationis, conjuges sint in statu gratiae, quia isto momento matrimonium contrahunt et sacramentum recipiunt (6).

---

(6) MARC., *op. cit.*, n. 2087.

CAPUT IX

De Matrimonii Effectibus

Matrimonium legitime contractum plures inducit effectus, tum quoad jura et obligationes conjugum, tum circa filios qui ex illo matrimonio nascuntur, quos legitimos constituit.

Art. I

DE JURIBUS ET OFFICIIS CONJUGUM

257. — I. « *Ex valido matrimonio enascitur inter conjuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum.* » (Can. 1110.)

Cfr. quae diximus de matrimonii proprietatibus. Cap. I, art. II.

258. — II. « *Matrimonium praeterea christianum conjugibus non ponentibus obicem gratiam confert.* » (Ibid.)

Matrimonium enim inter baptizatos est verum Novae Legis sacramentum, et ideo confert gratiam illis qui digne illud suscipiunt. Gratia sacramentalis matrimonii est augmentum gratiae gratum facientis simul cum auxilio speciali ut conjuges officia vitae conjugalis rite adimpleri possint.

259. — III. « *Utrique conjugi ab ipso matrimonii initio aequum jus et officium est quod attinet ad actus proprios conjugalis vitae.* » (Can. 1111.)

a) « Ab ipso matrimonii initio. » Ex his verbis, sicut

caeteroquin ex silentio Codicis, licet inferre jam abolitum esse privilegium in jure Decretalium exsistens, vi cujus conjugi utrique concedebatur bimestre ad deliberandum an religionem votorum solemnium ingredi vellet, quin toto illo tempore teneretur redere conjugale debitum.

b) De juribus et officiis conjugum in usu matrimonii, non hic agemus. Sed remittimus ad doctrinam solidam, claram et doctam cl. Patris Merkelbach, O. P. in « Quaestionibus de Castitate et Luxuria »; quaestio octava : De conjugibus in usu matrimonii.

260. — IV. « *Nisi jure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti.* » (Can. 1112.)

Hic agitur de domicilio, foro competenti, ritu et sepultura, sed his immorari non est nostrae provinciae.

261. — V. « *Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.* » (Can. 1113.)

Sedulo curet parochus vel confessarius ut saepius parentes hortetur ad gravissimum officium educationis filiorum rite adimplendum. Tum publicis concionibus, tum privatis colloquiis eos adducat ut in scholas catholicas pueros mittant.

Art. II

DE LEGITIMITATE FILIORUM

262. — I. **Notio.**

a) *Legitimitas* est conditio juridica filiorum, quorum natales praescriptis legum conformes sunt.

Distinguitur legitimitas in foro *ecclesiastico* et in foro *civili*. Potest enim quispiam ab Ecclesia legitimus haberi et illegitimus ab auctoritate civili, et vice versa.

Hic agemus solum de legitimitate in foro ecclesiastico.

b) *Legitimatio* est actus legis vel principis i. e. Romani

Pontificis, quo filius illegitimus jura legitimi consequitur sive ex toto, sive ex parte.

263. — II. **Quaenam requirantur ad legitimitatem natalium.**

« Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob solemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti. » (Can. 1144.)

a) Non solum qui concepti sunt ex valido vel putativo matrimonio, sed etiam qui ante matrimonium concepti post matrimonium validum vel putativum parentum nati sunt, pleno jure legitimi sunt.

b) Exceptio datur quae perquam raro verificatur. Si enim ex duobus conjugibus valido matrimonio etiam consummato junctis, uterque vel alteruter vota solemnia nuncupaverit vel maritus legitime sacros ordines susceperit, si postea, nonobstante voto vel ordine sacro, copulam carnalem habuerint, filius ex tali commercio natus erit illegitimus.

264. — III. **Probatio legitimitatis.**

a) « Pater is est quem justae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur. » (Can. 1115.)

1. Filius natus ex uxore legitima habetur a jure ut filius mariti, si maritus non respuat paternitatem.

2. Etiamsi maritus renuat agnoscere filium ut suum, vel uxor fateatur adulterium, hujusmodi filius ut legitimus ab Ecclesia habetur, donec evidentibus argumentis probetur contrarium, ut est v. g. absentia continua mariti a decimo mense ad sextum mensem completum ante pueri nativitatem.

b) Praedictae tamen praesumptioni locus non est, ita ut maritus valeat respuere paternitatem, si ante sex menses a die celebrati matrimonii vel post decem menses a die dissolutae vitae conjugalis filius nascatur. (Can. 1115, § 2.) In hoc casu filio onus incumbit legitimitatem probandi.

Ratio est quia vix ulla proles nascitur ante 180 aut post 300 dies a conceptione. Si ante sex menses filius nascatur,

non potest esse mariti, nisi ex fornicatione; si post decem menses a die solutae vitae conjugalis, non potest esse mariti, nisi ex hypothesi gestationis contra leges naturae vel commercii sexualis inter separatos conjuges. Jamvero tales hypotheses non possunt praesumi. Et ideo tunc legitimitas non praesumitur et probari debet, nisi maritus silentio acquiescat (1).

265. — IV. **Diversi modi illegitimitatis.**

Distinguuntur illegitimi in :

1. *naturales,* qui scilicet ex *simplici fornicatione* nati sunt.

2. *spurios,* qui scilicet ex adulterio, sacrilegio i. e. ex persona voto solemni vel solemnizato ligata, vel ex incestu nati sunt.

266. — V. **Legitimatio filiorum.**

Duplici modo confertur legitimitas : Vel ipsa lege quae alicui facto legitimationem annexam declarat, vel rescripto Summi Pontificis.

a) *Legitimatio habetur ipso facto :*

1. « Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum. » (Can. 1116.)

1) Sed haec conditio requiritur ut « parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, *vel* praegnationis, *vel* nativitatis. » (Ibid.) Si vero in nullo ex temporibus istis: conceptionis scl., gestationis vel nativitatis, ab impedimento dirimenti parentes fuerint immunes, subsequens matrimonium non confert legitimitatem.

2) « Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit. » (Can. 1117.)

Jus autem sic legitimatos solummodo excludit a munere Cardinalis, Episcopi, Abbatis nullius vel Praelati nullius. (Can. 232, § 2, 1°; Can. 331, § 1, 1°; Can. 320, § 2.)

2. *Per professionem solemnem* in Ordine religioso.

---

(1) VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 420.

Sed hujusmodi legitimatio est omnino partialis, quia solum aufert *irregularitatem* ad ordines quae ex illegitimitate provenit. Illegitimus solemniter professus potest recipere ordines sacros, non autem idoneus fit ad munus superioris majoris (can. 504) vel a fortiori cardinalis, episcopi vel abbatis seu praelati nullius. (Can. supra citati, § 2.)

3. Per *sanationem in radice* matrimonii.

Qui ex sanatione matrimonii in radice legitimi fiunt, videntur plene legitimis assimilari, cum ex fictione juris considerentur ut ab initio legitimi, et ideo posse, contra ac legitimati per subsequens matrimonium, Cardinales fieri et Episcopi (2).

4. Per dispensationem ab impedimentis matrimonii concessam ex potestate ordinaria, vel delegata per indultum generale. Excipitur tamen a legitimatione proles adulterina vel sacrilega. (Can. 1051.)

b) Legitimatio concedi potest rescripto Summi Pontificis vel Congregationum quae sunt organa ejus supremae potestatis.

Tunc demetienda est extensio gratiae concessae ex tenore rescripti.

---

(2) VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 455, 3

CAPUT X

De Vitae conjugalis Dissolutione

---

267. — Matrimonium valide celebratum conjuges unum quid efficit et eos obligat ad perpetuo convivendum communione habitationis, mensae et thori. Absque enim hujusmodi vitae consortio impossibilis evadit officiorum conjugalium adimpletio. Attamen vita communis inter conjuges variis modis nata est dissolvi vel cessare, legitime vel illegitime, in perpetuum vel ad tempus, totaliter vel partialiter. Jam supra nn. 11-14 diximus de diversis casibus in quibus ipsum matrimoniale vinculum potest abrumpi. Sed, vinculo manente conjugali, locus esse potest conjugum separationi ob causas ab ipsa Ecclesia admissas; et praeterea in multis nationibus modernis viget lex pessima civilis divortii. Ut ergo animarum oeconomus quid agere debeat tum erga conjuges qui ab invicem sejungi petunt vel jam discesserunt, tum erga eos qui ad civile divortium recurrere volunt vel ipsum jam obtinuerunt, clare cognoscat, in duobus articulis distinctis agemus :

1. de separatione conjugum.
2. de divortio civili.

Art. I

DE SEPARATIONE CONJUGUM

268. — I. **Causa legitima separationis necessaria.**

a) « Conjuges servare debent vitae conjugalis com-

munionem, nisi *justa causa* eos excuset. » (Can. 1128.)

b) Hujusmodi justae causae magnam varietatem admittunt et judicium de causae sufficientia multum differt secundum quod agitur de perpetua vel temporanea, de totali vel partiali separatione.

269. — II. **Causae separationis perpetuae et totalis.**

a) *Est imprimis adulterium alterius conjugis.*

« Propter conjugis adulterium, alter conjux, manente vinculo, jus habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem. » (Can. 1129, § 1.)

1. Ratio est quia fidem promissam frangendo adulter omne jus amisit relate ad compartem quoad officia matrimonialia.

2. Ut autem adulterium tale jus separationis conferat debet esse :

1) *formale* : i. e. scienter et libere commissum.

2) *consummatum* copula, etiam onanistica (1) Sodomia cum alia persona ac uxore et bestialitas adulterio aequiparantur. Par enim in omnibus his casibus est ratio injuriae illatae.

E contra non sufficiunt actus impudici etiam graves, sed sine copulatione.

3) *moraliter certum.* In hac enim materia fere numquam physica habetur certitudo.

4) cui alter conjux *non consenserit.* (Can. 1129, § 1.)

5) cui alter conjux *causam non dederit.* (ibid.) Causam adulterio dare censetur qui uxorem deseruit, debitum conjugale saepius reddere omiserit.

6) *non condonatum* expresse vel tacite. (ibid.) Si enim culpa partis adulterae a conjuge libere condonata fuerit, jam conjux innocens renuntiavit ipso facto juri suo discedendi.

« Tacita condonatio *habetur*, si conjux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero conjuge, sponte maritali affectu, conversatus fuerit; *praesumitur* vero, nisi sex intra menses conjugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut

(1) Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, t. II, n. 440, 2, b. — CAPELLO, *op. cit.*, n. 826.

legitimam accusationem fecerit. (Can. 1129, § 2.)

7) *non mutuum.* (Can. 1129, § 1.) Crimen enim unius crimine alterius compensatur.

b) *Mutuus consensus ad vitam religiosam amplectendam vel ad suscipiendos sacros ordines.*

Attamen ex jure Codicis requiritur dispensatio S. Sedis. (Can. 542, 1°; can. 987, 2°.)

270. — III. **Causae separationis totalis, sed non perpetuae.**

a) Si alter conjux sectae acatholicae nomen dederit;

b) Si prolem acatholice educaverit;

c) Si vitam criminosam et ignominiosam ducat;

d) Si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat;

e) Si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat;

f) Aliaque id genus. (Can. 1131, § 1.)

« In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, conjux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore. » (ibid., § 2.)

271. — IV. **Causae separationis a toro tantum sive perpetuae, sive temporariae.**

a) Licet separationem facere a toro etiam perpetuam

1. Ex mutuo consensu ob gravem causam.

2. Quotiescumque alter conjux ad reddendum debitum non tenetur.

b) Talis separatio necessaria est :

Quando debitum conjugale reddi non potest et usus lecti communis proximum ingerit periculum peccandi.

272. — V. **Quanam auctoritate separatio fieri debeat.**

a) Si agatur de amplectendo statu religioso vel clericali, semper requiritur dispensatio S. Sedis, ut dictum est supra n. 269, b.

b) Si separatio fiat ob adulterium, requiritur sententia Ordinarii si non sit publicum; secus ex auctoritate propria fieri potest.

c) Si separatio fiat ob motiva supra n. 270 recensita, fieri debet auctoritate Ordinarii. Potest tamen fieri etiam

propria auctoritate, si de illis causis *certo constet* et *periculum sit in mora*. (Can. 1131, § 1.)

d) Tandem separatio a toro tantum fit auctoritate propria.

273. — VI. **An pars innocens jus retineat semper revocandi partem dimissam.**

Tale jus ipsi semper competit, modo altera pars ex consensu partis innocentis statum matrimonio contrarium non susceperit. (Can. 1130.) Excusatur tamen altera pars a redeundo si graves saevitias merito timeat a conjuge ipsi inferendas.

274. — VII. **An pars innocens teneatur alteram partem rursus admittere.**

a) Si agatur de separatione perpetua legitime facta ob adulterium, numquam tenetur pars innocens conjugem dimissum recipere, saltem ex justitia. (Can. 1130.)

b) Si agatur de separatione temporaria, ob causas n. 270 recensitas « causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus; conjux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore. » (Can. 1131, § 2.)

275. — VIII. **Cura filiorum post separationem.**

« Instituta separatione, filii educandi sunt penes conjugem *innocentem*, et, si alter conjugum sit acatholicus, penes conjugem *catholicum*, nisi in utroque casu *Ordinarius* pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, *aliud decreverit*. » (Can. 1132.)

276. — IX. **Quid parocho vel confessario quoad separationem conjugum agendum.**

a) Pro posse dissuadere debent conjuges a separatione quoad tectum facienda, nisi causae adsint quae illam vere necessariam reddant. Gravia enim mala separatio habet consectaria.

b) In casibus qui requirunt interventum Episcopi, conjux qui separationem petit regulariter *per parochum* ad auctoritatem Ordinarii recurrere debet.

c) Si tamen paenitens ex una parte habeat gravia mo-

tiva separationem a conjuge instituendi et ex alia parte de obligatione ad Episcopum recurrendi non sit conscius, potest a confessario vel parocho in bona fide relinqui, si praevideatur illum aegre adduci posse ad recursum instituendum, nec sit timendum grave scandalum.

Et id valet a fortiori pro conjugibus jam *separatis*, si absit scandalum.

Art. II

DE DIVORTIO CIVILI

277. — I. Nostris diebus apud multas nationes Deus et Christus e publica vita exsulantur. Censetur status omnem potestatem habere, quin ullatenus attendere teneatur ad divinas vel ecclesiasticas leges. Et sic instituta sunt matrimonium civile et civile divortium contra jura Dei et Ecclesiae. De matrimonio civili non est magna difficultas. Non tantum possunt fideles illud admittere, modo illi non attribuant ullum effectum quoad matrimonium ipsum praeter acquisitionem civilium jurium, sed omnino invitandi sunt ut illam formalitatem adimpleant propter bonum temporale ipsorum conjugum et nascturae prolis procurandum.

Sed de divortio civili gravior manet difficultas, utrum scilicet liceat catholicis tum illud petere, tum illud pronuntiare ut judex, tum denique civiliter jungere eos qui ligaminis impedimento a novis nuptiis arcentur.

278. — II. **Civilis divortii notio.**

a) *Divortium civile* est solutio matrimonii civilis etiam quoad vinculum, ita ut conjuges aliud matrimonium contrahere libere possint.

b) Sed bene nota in intentione legislatoris, saltem in Belgio et in Gallia, matrimonium civile considerari ut verum et quidem solum matrimonium, eo usque ut matrimonium coram Ecclesia tantum contractum, lex ut concubinatum habeat et filios ex tali conjugio natos ut illegitimos.

279. — III. **Quid sentiendum de lege divortium permittente.**

Nemo catholicorum dubitare valet illam legem esse pessimam, utpote usurpantem jura Ecclesiae, quae sola competens est ad judicium ferendum in causis matrimonialibus, et, quod adhuc pejus est, sacrilege contendentem vinculum matrimoniale disrumpere, contra ipsius legis divinae praecepta.

280. — IV. **Quid de ipsa sententia divortii perfecti.**

a) Magna lis est inter auctores an talis sententia sit intrinsecus et essentialiter mala, ita ut ob nullam causam, licet gravissimam et urgentissimam, neque a judice proferri neque a conjugibus peti possit.

b) Videtur tamen illam essentialem malitiam abesse a sententia divortii, ita ut aliquando sub certis conditionibus possit, illaesa conscientia, tum pronuntiari a judice, tum postulari a conjugibus et advocatis.

Etenim neque quoad ipsum *objectum* sententiae, neque quoad *circumstantias necessario adnexas* talis malitia essentialis apparet.

1. Non quoad *objectum*. Nihil enim aliud est de se sententia divortii quam *destructio matrimonii civilis*, seu privatio pro matrimonio *recognitionis legalis* et *effectuum civilium*. Jamvero nihil ibi videtur quod sit essentialiter malum.

2. Non quoad *circumstantias necessario conjunctas* : Si enim judex clare exprimat suam voluntatem solos effectus civiles matrimonii attingendi, nullae aliae pravae circumstantiae possunt esse conjunctae cum sententia divortii nisi scandalum pro populo et cooperatio ad peccata aliena.

Tale scandalum non adest in plerisque Europae nationibus, ubi lex divortii a multo viget tempore et constanter applicatur, si judex vel conjuges vel advocatus vera necessitate pulsi talem sententiam ferant vel expostulent.

Quoad vero cooperationem ad peccata aliena, cooperatio non est ita proxima, et cum non sit per actionem de se malam, potest excusari ex gravissima causa (2).

---

(2) PRÜMMER, *op. cit.*, nn. 901 et 902.

281. — V. **Quid de judice relate ad sententiam divortii.**

a) Potest divortium pronuntiare, quotiescumque matrimonium de quo agitur est certo invalidum, utpote mere civile inter eos qui ad formam canonicam adstringuntur, vel cujus nullitas ab auctoritate ecclesiastica declarata est, aut legitime solutum quoad vinculum.

b) Potest causam assumere ut divortii petitionem repellat.

c) Si tamen cogatur munus judicis deponere, nisi causam divortii judicare velit, nec possit petitionem actorum repellere, videtur ipsum posse sententiam divortii pronuntiare, modo protestetur se solos effectus civiles attingere velle.

282. — VI. **Quid de actore in causa divortii.**

a) Potest divortium peti in casu matrimonii invalidi et quoad oportet taliter ab Ecclesia declarati vel legitime soluti quoad vinculum.

b) Gravissime peccat actor si intendat solutionem ipsius vinculi matrimonialis vel alias nuptias libertatem ineundi obtinere.

c) Etiam si solos effectus civiles quaerat, generaliter divortium civile petens graviter peccat.

d) Si tamen gravissimae causae adsint divortium petendi, non videtur posse damnari actor, modo obtineat licentiam Ordinarii loci.

Concilium Provinciale Mechliniense anni 1920 sub praeside Eminentissimo Cardinali Mercier celebratum et ab Apostolica Sede approbatum eodem modo sentit, dicens : « Gravis piaculi reatum incurrere conjuges catholicos, qui, stante matrimonio coram Ecclesia valido, sine *urgentissima et gravissima causa*, ab Ordinario cognoscenda, divorium civile qua actores sollicitare non dubitant. » (3).

e) An vero tales causae urgentissimae et gravissimae quae petitionem divortii excusant revera nunc aliquando adsint, saltem in Belgio et Gallia, merito dubitari licet.

1. Antea enim duplex causa adesse poterat in Belgio pro catholicis divortium sollicitandi et separationem corporalem insufficientem existimandi : Timor ne proles adultera marito indebite adscriberetur et desiderium pro

(3) *Acta et Decreta Conc. Prov. Mechlin. quarti*, n. 81, Mechlin. 1923.

uxore sufficientem libertatem sibi vindicandi in bonorum suorum administratione et prolis educatione.

2. Jamvero tales causae jam non exsistunt. Lex enim diei 20 martii 1927 opportunas mutationes attulit in separationis corporalis regimine, quae praecipua commoda divortii ad regimen separationis corporalis extendit.

Sic ex nova lege, in casu judicii vel etiam tantum postulationis in causa separationis corporalis, potest maritus paternitatem respuere filii nati saltem trecentesimo die a data decisione qua tribunal permittit uxori ut domicilium separatum habeat, vel ante centum et octoginta dies a definitiva repulsione petitionis vel a reconciliatione inter conjuges peracta computandos. Actio quidem mariti in denegationem paternitatis non admittitur, si uxor probet se interim cum marito de facto iterum fuisse, sed illa probatio uxori incumbit.

Ex alia parte nova lex concedit uxori quae corporaliter a marito separata est plenum exercitium suae potestatis civilis independenter a marito.

3. In Gallia jam lex 6 decembris 1850, confirmata a lege 27 julii 1884, eadem fere ac nova lex belgica statuit, quoad denegationem paternitatis, in casu separationis corporalis. Et lex 6 februarii 1893 plenam capacitatem civilem concedit uxori corporaliter separatae (4).

4. Quoad vero custodiam et educationem filiorum, practice eosdem effectus habet separatio corporalis et divortium.

283. — VII. **Quid de causidico.**

Cum advocatus nihil aliud sit quam vicesgerens actoris, quae diximus de actore quoad causas gravissimas et urgentissimas et licentiam Ordinarii, quae requiruntur ut licite divortium petat, ipsi omnino sunt applicanda.

284. — VIII. **Quid de syndico matrimonium civile celebrante eorum qui alio matrimonio valido tenentur.**

Cum neque actio illa intrinsecus mala videatur, potest syndicus ex gravi causa puta ne officium deponere coga-

(4) Cfr. *Annales du Notariat et de l'enregistrement.* Août-sept. 1927, pp. 316-337. JULES CHEVALIER, *Loi du 20 mars 1927 portant modification au régime de séparation de corps.*

tur, illam assistentiam praestare. Ita communiter docent auctores moderni (5).

285. — IX. **De modo agendi parochi vel confessarii erga illos qui absque licentia Ordinarii divortium obtinuerunt.**

a) Inducat illos ad paenitendum de admissa culpa.

b) Si reconciliatio appareat moraliter possibilis, et non adsit causa sufficiens separationis corporalis, jubeat parochus vel confessarius ut pars, quae divortium petiit, reconciliationem pro posse procuret.

c) Si vero impossibilis sit reconciliatio vel adsint causae omnino sufficientes ad separationem corporalem faciendam, censeo poenitentem posse ad sacramenta admitti. Sed melius esset rem ad judicium Ordinarii referre.

LAUS DEO ET REGI CHRISTO!

(5) PRÜMMER, *op. cit.*, II. 898.

INDEX PARTIUM

p.

Benevolo lectori 6

CAPUT I. De matrimonii natura 7
Art. I. Notio matrimonii 7
Art. II. De proprietatibus matrimonii 10
1. De unitate matrimonii 11
2. De indissolubilitate matrimonii 11
Art. III. De matrimonio sacramento 16
§ 1. De materia, forma, ministro sacramenti matrimonii 16
§ 2. De sacramenti matrimonii subjecto 17

CAPUT II. De consensu matrimoniali in specie 20
Art. I. De qualitatibus matrimonialis consensus 20
Art. II. De his quae consensum vitiare possunt 22
§ 1. Defectus rationis et ignorantia 22
§ 2. Error 23
§ 3. Simulatio 26
§ 4. Conditio 27
§ 5. Vis et metus 29

CAPUT III. De Matrimonii praeparatione 32
